tili Romæ fore. Id à tuis literis, quas ad me de deceſſu tuo miſeras, diſcrepabat. Pætus, ut antea ad te ſcripſi, omnes libros, quos frater ſuus reliquiſſet, mihi donavit. Hoc illius munus in tua diligentia poſitum eſt. Si me amas, cura ut conſerventur, & ad me perferantur. Hoc mihi nihil poteſt eſſe gratius: &, cùm Græcos, tum verò diligenter Latinos ut conſerves velim. Tuum eſſe hoc munuſculum putabo. Ad Octavium dedi literas: cum ipſo nihil eram locutus. Neque enim iſta tua negotia [52] provincialia eſſe putabam: neque te in [53] tocullionibus habebam. Sed ſcripſi, ut debui, diligenter.

52. *Provincialia*] Cicero putabat Atticum exercere fœnus in liberis ſolùm civitatibus, ut Delo, Athenis, Sicyone: non etiam in provinciis, in quibus Romani magiſtratus jus dicebant, ut in Macedonia, quam tunc C. Octavius Auguſti Cæſaris pater proprætore adminiſtrabat. Ideò vocat *provincialia negotia* quæ erant cum provincialibus hominibus, & apud magiſtratus provinciales expediebantur. Popma.

53. *Tocullionibus*] Hoc nomine jam Turnebus docuit ſignificari fœneratores, quaſi dicas fœneratorculos: cujusmodi erant negotiatores, & argentarii, qui fœnus in provinciis exercebant. Bosius. Vide Turnebi Adverſ. XXX. 13.

Cicero Attico Sal.

Cura, amabo te, Ciceronem noſtrum. Ei nos [1] θεῖοι videmur. [2] Πελλωαίων in manibus tenebam: & hercule [3] magnum acervum Dicæarchi mihi ante pedes extruxeram. O magnum hominem, & à quo multo plura didiceris, quàm de [4] Procilio. [5] Κοιανθίων, & Ἀθηναίων puto me Romæ habere. [6] Mihi credes, leges; hæc doceo; mirabilis vir eſt. [7] Ἡρῴδης, ſi

2

N 3

1. Θεῖοι] *Patrui.* Quo ſenſu Horatius, *Ne ſis patruus mihi.* Corradus. Ex depravatæ veteris ſcripturæ veſtigiis conjicio legendum: *Cura, amabo te, Ciceronem noſtrum: cui nos συνοικεῖν videmur.* Ægrotabat apud Atticum Q. Cicero Q. F. Eum igitur patruus avunculo diligenter commendat; & quo magis declaret ſuam erga illum voluntatem, ſe ſibi videri unà cum eo ægrotare. Muretus. *Var. Lect.* lib. XIV. cap. 7.

2. Πελλωαίων] Librum Dicæarchi de populis Peloponnæſis. De quibus Suidas. Man.

3. *Magnum acervum Dicæarchi extruxeram*] Eſt, magnam partem legendo evolveram. Ex ratione legendi volumina, de quibus quod legiſſent, in contrariam partem convolutum ante ſe demittebant. J. F. Gronov. Vide de Dicæarcho Gerh. Voſſ. de Hiſt. Græc. lib. I. cap. 9. & Joh. Jonſ. de ſcript. Hiſt. Philoſoph. lib. I. cap. 16.

4. *Procilio*] Vide Plin. lib. VIII.

5. Κοιανθίων] Πολιτείας. Corinthiorum, & Athenienſium Reſpublicas ab eodem Dicæarcho ſcriptas. Corradus.

6. *Mihi credes*] Emendo: *Mihi credeſis, lege hoc otio. Mirabilis vir eſt.* Ait, *hoc otio*, quia Atticus hoc tempore in Epiro. Lipsius. IV. Epiſt. Quæſt. 11. Fortè legendum: *Mihi credes, leges hæc de eo*, hoc eſt, de ejus operibus. J. F. Gronovius.

7. Ἡρῴ-

si homo esset, eum potiùs legeret, quàm unam literam scriberet: qui me epistolâ [8] petivit: ad te, ut video, [9] comminus accessit. [10] Conjurasse mallem, quàm restitisse conjurationi, si illum mihi audiendum putassem. [11] De Lollio sanus non es: de Vinio laudo. Sed heus tu, ecquid vides [12] Kalendas venire, Antonium [13] non venire? judices cogi? nam [14] ita ad me mittunt, Nigidium minari in concione, se judicem, qui non affuerit, [15] compellaturum. Velim tamen si quid est de Antonii adventu quod audieris, scribas ad me: & quoniam [16] huc non venis, cœnes apud nos utique pridie Kal. cave aliter facias. Cura, ut valeas.

7. Ἡρώδης] Athenienſis, &, opinor, is, de quo lib. XIV. MANUTIUS.

8. *Petivit*] Herodes miſsâ ad me epiſtolâ, tanquam telo eminùs jacto, me laceſſivit, & provocavit ad certamen. Ait enim ſe velle ſua ſcripta de meo Conſulatu cum meis committere: quaſi parum eleganter, aut etiam diligenter ipſe ſcripſerim, neceſſéque fuerit id argumentum ab illo tractari. BOSIUS.

9. *Comminus*] Venit enim ad te, ut ſcriptorum ſuorum moleſtiſſimâ lectione conficeret. MANUTIUS.

10. *Conjuraſſe mallem*] Tam malus eſt ſcriptor Herodes, ut præclarum illud meum factum potiùs conſpurcet & collutulet ſuis ſcriptis, quàm illuſtret. Itaque ſi illum mihi audiendum putaſſem recitantem quæ de rebus à me Conſule geſtis ſcripſiſſet, mallem fuiſſe de numero conjuratorum, & eo nomine pœnas dediſſe, quàm ea ſcripta legere, aut audire, quæ me enecarent. BOSIUS.

11. *De Lollio*] Ita Victorius. Alii, *De illo, ſanus non es: de vino, laudo.* Alii, *De oleo, ſanus non es: de vino; laudo.* Quàm multa, quàm dubia huc afferunt interpretes, ut ſuam quiſque ſententiam tueatur! Quæ tamen prætermitto omnia; etſi delectûs mei ſeveritatem ſic temperavi hactenus, magis ut ſit verendum, ne in aſſumendo remiſſior fuiſſe videar, quàm atrocior in repudiando. OLIVETUS.

12. *Kalendas*] Quo die C. Antonius, cauſam dicere debebat. MANUTIUS.

13. *Non venire*] Ex Macedonia provincia redeuntem, quàm avarè, & infeliciter adminiſtraverat. Vide lib. I. IDEM.

14. *Ita ad me mittunt*] Ita mihi Româ ſcribitur à meis. IDEM.

15. *Compellaturum*] Malè Manutius exponit, evocaturum, coacturum. Eſt enim accuſaturum, ejus nomen delaturum. GRÆV.

16. *Huc non venis*] Quoniam Romam rectà proficiſceris, nec vis de itinere deflectere, ut in villas ad me venias; Romæ domi meæ cœnato, tertio quidem Kalendas, ſi poteris, id eſt illo ipſo die, quo te ad Urbem futurum ſcribis; ſi minùs, utique pridie Kalendas. MANUTIUS.

CICERO ATTICO SAL.

3 PRIMUM, ut opinor, [1] εὐαγγέλια. [2] Valerius abſolutus eſt Hortenſio defendente. Id judicium [3] K. Atilio condonatum

1. Εὐαγγέλια] Boni nuntii præmia. Manutius ſupplet, *debes mihi.* Alii verò, *debeo tibi*, qui jucunda ad me ſcripſeris.

2. *Valerius*] An eſt ille Valerius Flaccus,

tum putabatur: & [4] Epicratem ſuſpicor, ut ſcribis, laſcivum fuiſſe. Etenim mihi [5] caligæ ejus, ut faſciæ cretatæ, non placebant. Quid ſit, ſciemus cùm veneris. Feneſtrarum anguſtias quòd reprehendis, ſcito te [6] Κύρῳ παιδείαν reprehendere. Nam, cùm ego idem iſtuc dicerem, Cyrus aiebat, [7] radiorum διαφάσεις latis luminibus non tam eſſe ſuaves. Etenim [8] ἔσω ὄψις μὲν, η, α. τὸ δὲ ὁρώμενον, β, γ. ἀκτῖνες δέ, δ, ηῒ ε. Vides enim cætera. Nam, ſi κατ' εἰδώλων ἐμπτώσεις videremus, valdè laborarent εἴδωλα *in anguſtiis: nunc fit lepidè illa* [9] ἔκχυσις radiorum. Cætera ſi reprehenderis, non feres tacitum, niſi quid erit ejuſmodi, quod ſine ſumptu corrigi poſſit. Venio nunc ad menſem Janua-

---

cus, qui non multò pòſt Bibulo & Cæſare Coſſ. eſt accuſatus, & ab Hortenſio & Cicerone defenſus? an M. Valerius Meſſalla, qui ſuperiore anno Coſ. fuerat cum M. Piſone? Neutrum puto: quia uterque ſolo cognomine appellatur, Meſſalla lib. I. Flaccus ep. ult. hujus libri. Fortè eſt L. Valerius Juriſconſultus, cujus *cognomen nullum extat.* Meminit ejus *Fam. lib. I. ep. ult. lib.* III. ep. 1. & lib. VII. ep. 12. *ut unius ex ſuis domeſticis atque intimis familiaribus. Ideò hîc ait, quia illum abſolutum ſignificat, ſibi deberi ab Attico præmium, quod dari ſolet lætum afferenti nuntium.* Popma.

3. *K. Atilio*] Id eſt, Cæſoni Atilio. Fuit enim Cæſo prænomen Atiliorum, quod hac nota *K.* ſcribi ſolebat. In faſtis Capitolinis L. Atilius Tribunus militum filius dicitur K. Atilii. Bosius.

4. *Epicratem*] Quaſi potentem, omnia tenentem in repub. *Laſcivum*, protervum fuiſſe Pompeium in judicibus urgendis ut abſolverent. J. F. Gronovius.

5. *Caligæ*] Militares, quibus domi, in urbe, in pace utebatur, auræ populari ſerviens, *ut lib. I. ep. 16. De faſciis cretatis extat Faonii dictum apud Valerium Max. lib. VI. cap. 2.* Junius. Verius videtur: *Mihi non placebat, quòd milites multos circa ſe haberet.* Gronov.

6. *Κύρῳ παιδείαν*] *Cyri architecti doctrinam*: & alluſit ad Xenophontis librum, qui inſcribitur *Κύρου παιδεία.* Manutius.

7. *Radiorum*] Ita Vict. & Man. Alii verò *viridariorum.* Solebant veteres ita lumina feneſtrarum poſita habere, ut per earum ſpatia in viridia proſpectus eſſet. Hunc autem proſpectum non tam ſuavem putavit Cyrus Architectus, ſi latiora eſſent lumina. Quæ ut intelligantur videndus eſt Gellius lib. V. cap. 16, & Apuleius Apolog. P. Pith. Adverſ. II. 18. *Viridium* hîc mendosè ſcriptum eſt pro *thuridium*, hoc eſt, θυρίδων ἀφάσεις. Quod neminem ſpero eſſe negaturum, qui vel tantillum habeat ſenſûs communis. *Radiorum* autem, quod *in* omnibus editionibus propagatum eſt, omni mendo mendoſius. Salmasius.

8. *Ἔσω ὄψις*] *Sit viſus a. quod autem videtur b. g. radii verò d. & e.* Sermo eſt de feneſtris, unde proſpectus in viridarium patet. Eas anguſtiores fecerat architectus, reprehendente Attico, cui his verbis reſpondet. Cicero & Architectus putabant viſionem fieri radiorum ἐκχύσει, ex oculis & cum re aſpectabili conjunctione, Atticus autem εἰδώλων incurſione; adeóque putabat, anguſtis feneſtris εἴδωλα non poſſe commodè ad oculos intra feneſtram venire. Cicero autem reſpondet, ita ex architecti opinione de ἐκχύσει meliorem proſpectum effici. Nam ἔσω &c. *Vides* cætera, id eſt, intelligis, effici ita ab oculo ad objectum figuram coni, cujus faſtigium in oculo ſpectantis ſive ad feneſtram terminetur; cujus faſtigium quò eſt acutius, baſis latior, eò jucundius ſpectaculum exhibebit. Ernestus.

9. Ἔκχυσις] Effuſio radiorum.

[10] Januarium, & ad [11] ὑπόστασιν noſtram, ac πολιτείαν: in qua [12] συγκεκλιμένως εἰς ἑκάτερον: ſed tamen ad extremum, ut [13] illi ſolebant, [14] τὴν ἀρέσκουσαν. Eſt res ſanè magni conſilii. Nam aut fortiter reſiſtendum eſt legi agrariæ; in quo eſt quædam dimicatio, ſed plena laudis: aut quieſcendum; quod eſt non diſſimile, atque ire in Solonium, aut Antium: aut etiam adjuvandum; quod à me aiunt Cæſarem ſic expectare, ut non dubitet. Nam fuit apud me Cornelius; hunc dico [15] Balbum, Cæſaris familiarem. Is affirmabat, illum omnibus in rebus meo & Pompeii conſilio uſurum, daturúmque operam, ut cum Pompeio Craſſum conjungeret. Hîc ſunt hæc. Conjunctio mihi ſumma cum Pompeio; ſi placet etiam cum Cæſare; [16] reditus in gratiam cum inimicis, pax cum multitudine, ſenectutis otium. Sed me [17] κατάπτωσις mea illa commovet, quæ eſt in [18] libro tertio

Interea curſus, quos prima à parte juventæ,
Quóſque adeò Conſul virtute, animóque petiſti,
Hos retine, atque auge famam, laudéſque bonorum.

Hæc mihi cùm in eo libro, in quo multa ſunt ſcripta [19] ἀειστοκλεῖτως, Calliope ipſa præſcripſerit, non opinor eſſe dubitandum, quin ſemper nobis videatur

[20] Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

Sed

---

10. *Januarium*] Quo Cæſar, & Bibulus coſſ. magiſtratum inituri erant. MANUT.

11. Ὑπόστασιν] Statum. Πολιτείαν, Remp.

12. Συγκεκλιμένως εἰς ἑκάτερον] In utramque partem, more Socratico.

13. *Illi*] Socratici, vel Academici.

14. Τὴν ἀρέσκουσαν] Scilicet γνώμην, placentem, probabilem ſententiam. MANUT.

15. *Balbum*] Pro quo extat oratio.

16. *Reditus in gratiam cum inimicis, pax cum multitudine, ſenectutis otium*] Sic benè Manutius aliique diſtinguunt. Victorius autem ſic interpungit: *Cum Cæſare reditus in gratiam; cum inimicis pax; cum multitudine ſenectutis otium.* Quem ſequuntur Boſius ferè & Gruterus. Sed veterum editionum ſcriptura non eſt ſollicitanda. Hoc enim volebat Cicero, ſe reconciliari poſſe cum Cæſare, ſi velit, & hac conjunctione placare, quorum odium in conſulatu ſuo in ſe concitaverat; plebem quoque hac ratione ſibi faventem reddere, quæ Cæſari ſit addictiſſima, ſi nolit adverſari legi agrariæ, & hinc tutam & tranquillam ſibi promittere ſenectutem. GRÆVIUS.

17. Κατάπτωσις] *Contentio.* Hortatur enim Calliope Ciceronem iis verſibus qui proximi ſequuntur, ad eum curſum ſtudii Reipublicæ tenendum, quem primùm ingreſſus erat. Ideò κατάπτωσιν Cicero vocat contentionem, & incitationem ejus curſûs: nam κατατείνειν δρόμον eſt, ut norunt mediocriter docti, curſum contendere, & in incepto curſu gnaviter perſeverare. BOSIUS.

18. *Libro* III.] De Conſulatu ſuo.

19. Ἀειστοκλεῖτως] Accommodatè ad ſtatum optimatium.

20. Εἷς οἰωνὸς] Homeri locus Iliadis lib. XII. de Hectore auguria contemnente, & unum eſſe optimum augurium affirmante, Certare pro patria. MANUTIUS.

Sed hæc ambulationibus [21] Compitaliciis reſervemus. Tu pridie Compitalia memento. Balineum calfieri jubebo: & Pomponiam Terentia rogat; [22] matrem adjungemus. Θεοφράϛου [23] περὶ φιλοπμίας affer mihi de libris Quinti fratris.

21. *Compitaliciis*] Quia ſcripſerat Atticus, ſe pridie Compitalia cum eo futurum. Compitalibus igitur, dum alii ludis operam dabunt, nos hæc ambulantes conferemus. *De die compitalicio* Macrobius lib. I. Sat. Varro de lingua Lat. Cicero in Piſonem, & hîc I. VIII. ep. 7. Id.

22. *Matrem*] Tuam. Corradus.

23. *Περὶ φιλοπμίας*] De ambitione.

Cicero Attico Sal.

Fecisti mihi pergratum, quòd [1] Serapionis librum ad me misisti: ex quo quidem ego, quod inter nos liceat dicere, milleſimam partem vix intelligo. Pro eo tibi præſentem pecuniam ſolvi imperavi; [2] ne tu expenſum muneribus ferres. At quoniam nummorum mentio facta eſt; amabo te, cura, ut cum Titinio, quoquo modo poteris, tranſigas. Si in eo, quod oſtenderat, non ſtat; mihi maximè placet, ea, quæ [3] malè empta ſunt, reddi, ſi voluntate Pomponiæ fieri poterit: ſi ne id quidem; [4] nummi potiùs reddantur, quàm ullus ſit ſcrupulus. Valde hoc velim ante quàm proficiſcare, amanter, ut ſoles, diligentérque conficias. Clodius ergo, ut ais, ad Tigranem? [5] velim Syſpiræ conditione: [6] ſed facilè patior: accommodatius 4

1. *Serapionis*] Fuit ille Antiochenus, qui Geographica ſcripſit.

2. *Ne tu expenſum*] Quaſi mihi donaſſes, in codice perſcriberes, ubi cætera munera ſcribis. Corradus.

3. *Malè empta*] Nimio empta. Man.

4. *Nummi potiùs reddantur*] Hunc locum rectè mihi explicaſſe videtur Goveanus ſine ulla ſcripturæ mutatione. Bosius. Solvatur Titinio quidquid ei debetur, ut hac moleſtiâ planè liberati ſimus. Cùm ab aliquo emimus quod ipſe ab alio emerat, nummos ei ſuos reddimus. Terentius in Adelphis, II. 1. 45. *Hæc tantidem emptam poſtulat ſibi tradier. Agè jam cupio, modò argentum reddat.* Scrupulus autem dicitur *difficultas*, & nodus, qui nos malè habet. Goveanus.

5. *Velim Syſpiræ*] Mirum eſt quàm valdè hoc loco varient exemplaria; alia enim habent, *Syrpæ*: alia *Syrpiæ*: quædam, *Syſpriæ*: nonnulla neſcio quid pejus. Denique in nullo veram & germanam lectionem reperias, quam puto fuiſſe hujuſmodi, *Syſpiræ*. Eſt enim Syſpira, locus, aut potiùs tractus Armeniæ celebris aurifodinis. Bosius. Emendarim: *Velim ſurpi ea conditione*: quod parum à veteri ſcriptura recedit, & ad ſententiam maximè accommodatum eſt. Clodius, inquit, erit legatus ad Tigranem? ipſe velim eâ legatione me hinc abducere, & ab hac hominum ſatietate noſtri diſcedere. *Surpio* autem dixit pro *ſurripio*, ut Horat. *Unum me ſurpite morti*; &, *Quæ me ſurpuerat mihi.* Popma. Alia etiam alii excogitaverunt. Quàm bene, vide-

enim nobis est ad liberam legationem tempus illud, cùm & Quintus noster jam, ut speramus, in otio consederit, &, iste [7] sacerdos Bonæ deæ cujus modi futurus sit, sciri possit. Interea quidem cum Musis nos delectabimus animo æquo, immò verò etiam gaudenti, ac libenti. Neque mihi unquam veniet in mentem Crasso invidere, neque pœnitere, quòd à me ipse non desciverim. De geographia dabo operam ut tibi satisfaciam: sed nihil certi polliceor. Magnum opus est; sed tamen, ut jubes, curabo ut [8] hujus peregrinationis aliquod tibi opus extet. Tu quidquid indagaris de Republica, & maximè quos Consules futuros putes, facito ut sciam: tametsi minùs sum curiosus. Statui enim nihil jam de Republica cogitare. Terentiæ saltum perspeximus: quid quæris? præter quercum [9] Dodonæam nihil desideramus, quo minùs Epirum ipsam possidere videamur. Nos circiter Kal. aut in Formiano erimus, aut in Pompeiano. Tu, si in Formiano non erimus, si nos amas, in Pompeianum venito. Id & nobis erit perjucundum, & tibi non sanè devium. De muro imperavi Philotimo ne impediret, quo minùs id fieret, quod tibi videretur: censeo tamen [10] adhibeas Vettium. His temporibus, tam [11] dubiâ vitâ optimi cujusque, magni æstimo unius æstatis fructum [12] palæstræ Palatinæ, sed ita tamen, ut nihil

viderint ii, quibus est otium. Tu verò, bone lector, ea, quæ non intelliguntur, ne curabis quidem intelligere: sed ex iis, quæ plana sunt, voluptatem & fructum capies. OLIVETUS.

6. *Sed facilè patior*] Clodium proficisci nunc, & me manere in urbe, quoad ille redeat ex Armenia. Ad liberam enim legationem, quam accipere volo, tempus illud quàm hoc accommodatius est: nam & Q. frater jam è provincia erit reversus, & poterit jam tum intelligi mecúmne volet Clodius contendere. Legatione volebat M. Tullius periculum, quod à Clodio impendebat, declinare. Quare tum volebat abesse ab urbe, cùm in urbe esset Clodius, non cùm abesset. Cùm ergo audivit Clodium mitti ad Tigranem, differendum sibi legationis tempus in Clodii reditum putavit. GOVEANUS.

7. *Sacerdos*] P. Clodius εἰρωνικῶς, ut orat. de Republ. & pro Sext. *stuprorum sacerdos* appellatur. CORRADUS.

8. *Hujus*] Errabat tum Cicero circa suas villulas. GOVEANUS.

9. *Dodonæam*] Si quercus essent in Terentiæ saltu, ut in Epiro tuâ sunt, juxta Dodonam civitatem; ego ipsam mihi viderer in Italia possidere: cætera non minùs abundè sunt, quàm in tuis Epiroticis possessionibus. MANUTIUS.

10. *Adhibeas Vettium*] Utaris consilio Chrysippi Vettii Cyri Architecti liberti Ep. 29. lib. XIII. GRÆVIUS.

11. *Tam dubiâ vitâ*] Innuitur periculum, aut ex aëris aliqua gravi & pestilenti aspiratione, aut certè ex hominibus impendens: ut ex ea Cicero, puerorum causâ magni faciat Palatinæ domus secessum æstate illa: nolit tamen eos, dum externa pericula declinant, incidere in domestica, ruinæque timore versari. MAL.

12. *Palæstræ Palatinæ*] Cicero habebat domum in Palatio magnificentissimam, cùm qua juncta erat palæstra, eáque mu-

ro

nihil minùs velim, quàm Pomponiam, & puerum versari in timore ruinæ.

ro cincta, de quo palæstricæ exercitationes spectabantur: sed quia murus erat infirmus, minitans ruinam, volebat illum reficere consilio Attici & Vettii architecti: ne fortè ipso absente per liberam legationem Q. fratris uxor Pomponia, & Q. filius versarentur in timore ruinæ. Erant enim domus utriusque Ciceronis contiguæ, nec ullo interjecto spatio disjungebantur, ut ipsi quasi contubernales essent: Vide ep. 4. lib. II. ad Fratrem. Popma.

Cicero Attico Sal.

Cupio equidem, & jam pridem cupio Alexandriam, reliquámque [1] Ægyptum visere, & simul ab hac hominum satietate nostri discedere, & cum aliquo desiderio reverti: sed hoc tempore, & [2] his mittentibus, [3] Αἰδέομαι Τρῶας, ἢ Τρωάδας ἑλκεσιπέπλους. Quid enim nostri optimates, si qui reliqui sunt, loquentur? an me aliquo præmio de sententia esse deductum? [4] Πολυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείη ἀναθήσει Cato ille noster, qui mihi unus est pro centum millibus. Quid verò historiæ de nobis [5] ad annos DC prædicarint? quas quidem ego multò magis vereor, quàm eorum hominum qui hodie vivunt, rumusculos. Sed opinor, [6] excipiamus, & expectemus. Si enim deferetur, erit quædam nostra [7] potestas, & tum deliberabimus. Etiam est in non accipiendo non nulla gloria. Quare si quid [8] Θεοφάνης tecum fortè contulerit, ne omnino repudiaris. De istis rebus expecto tuas literas: quid [9] Arrius narret; quo animo se destitutum

5

O 2

1. *Ægyptum*] Fore videbat, ut Cæsar consul legatum mitteret ad faciendam cum Ptolemæo, Ægypti rege, societatem: eam legationem & sibi deferri cupiebat; & tamen verebatur, ne alieno reipublicæ tempore discedentem infamia sequeretur. Cæsar lib. III. de bello civili. Manut.

2. *His*] Cæsare & Pompeio. Idem.

3. *Αἰδέομαι*] *Vereor Trojanos, & Trojanas peplos habentes.* Homeri versus de Hectore. Iliad. Z'. 442. & X. 105. Idem.

4. *Πολυδάμας*] Convicium Catonis timebo, ut Polydamantis Hector, si certamen cum Achille recusaret. *Iliad.* X.

5. *Ad annos* DC] Annos sexcentos, sic alibi sæpè ex usu loquendi antiquo, quo loco Græci *μυρία* dicunt. Donat. in Phormion. Corradus.

6. *Excipiamus*] Quod ad Ægyptiam legationem attinet, ne properemus, sed excipiamus, & expectemus, num deferatur. Manutius.

7. *Potestas*] Accipiendi, & non accipiendi. Corradus.

8. Θεοφάνης] Theophanes Mitylenæus ex Pompeii domesticis atque intimis familiaribus, particeps consiliorum, & scriptor rerum ipsius: de quo ep. 17. lib. V, pro Archia, &c. Popma.

9. *Arrius*] Vide ep. 7. hujus lib.

tutum ferat; & qui Conſules parentur; utrùm, ut populi ſermo, Pompeius, & Craſſus; an, ut mihi ſcribitur, cum Gabinio Servius Sulpicius: &, num quæ novæ leges: &, num quid novi omnino: &, quoniam [10] Nepos proficiſcitur, cuinam [11] auguratus deferatur: quo quidem uno ego ab iſtis capi poſſum. [12] Vide levitatem meam. Sed quid ego hæc, quæ cupio deponere, & toto animo, atque omni cura φιλοσοφεῖν? Sic, inquam, in animo eſt: vellem ab initio. Nunc verò, quoniam, quæ putavi eſſe [13] præclara, expertus ſum, quàm eſſent inania; cum omnibus Muſis rationem habere cogito. Tu tamen [14] de Curtio ad me reſcribe certiùs, &, num quis in ejus locum paretur; &, quid de P. Clodio fiat: &, omnia, quemadmodum polliceris, [15] ἐπὶ σχολῆς ſcribe: &, quo die Româ te exiturum putes, velim ad me ſcribas; ut certiorem te faciam, quibus in locis futurus ſim; epiſtolámque ſtatim des de iis rebus, de quibus ad te ſcripſi. Valde enim expecto tuas literas.

10. *Nepos*] Q. Metellus Nepos, ex Quæſtura profecturus in provinciam.

11. *Auguratus*] In locum demortui Auguris Metelli Celeris. POPMA.

12. *Vide*] Sic emendabat Muretus. Hoc enim dicit Cicero: Auguratum ſi deferent mihi, potero in eorum poteſtatem venire, ut de repub. non ab illis diſſentiam. GRON.

13. *Præclara*] Magiſtratus, honores.

14. *De Curtio*] Fortaſſe M. Curtio, ep. 9. lib. XIV. niſi malit quis legere, Q. Arrio, ut idem ſit, de quo paulò antè dictum eſt. CORRADUS.

15. Ἐπὶ σχολῆς] In otio.

CICERO ATTICO SAL.

6 QUOD tibi ſuperioribus literis promiſeram, fore, ut opus extaret hujus peregrinationis; nihil jam magnopere confirmo. Sic enim ſum complexus otium, ut ab eo divelli non queam. Itaque aut libris me delecto, quorum habeo Antii feſtivam copiam: aut fluctus numero; nam ad [1] lacertas captandas tempeſtates non ſunt idoneæ. A ſcribendo prorſus abhorret animus. Etenim γεωγραφικὰ, quæ conſtitueram, magnum opus eſt: ita valdè [2] Eratoſthenes, quem mihi propoſueram, à Sera-

1. *Lacertas*] Piſces, à lacerti, humani membri, ſimilitudine dictos. Sed malim, *Lacertos*, ut eos appellant Plinius, Celſus, Martialis, alii. MANUTIUS.

2. *Eratoſthenes*] Cyrenæus, floruit ſub Ptolemæo Philopatore, qui & Geographica ſcripſit. Vide G. Voſſ. de Hiſt. Græc. lib. I, cap. 17. GRÆVIUS.

[3] Serapione, & ab [4] Hipparcho reprehenditur. Quid censes, si [5] Tyrannio accesserit? Et herculè sunt res difficiles ad explicandum, & [6] ὁμοειδεῖς: nec tam possunt [7] ἀνθηροσταφεῖσθαι, quàm videbantur: &, quod caput est, mihi quævis satis justa causa cessandi est. Quin etiam dubitem, an hîc, an [8] Antii considam, & hoc tempus omne consumam: ubi quidem ego mallem [9] Duumvirum, quàm Romæ me fuisse. Tu verò sapientior [10] *Buthroti domum parasti. Sed*, mihi crede, [11] proxima est *illi municipio hæc Antiatium civitas.* [12] Esse locum tam propè *Romam*, ubi multi sint, qui Vatinium nunquam viderint? ubi nemo sit, præter me, qui quemquam ex vigintiviris unum esse salvum velit? ubi me interpellet nemo, diligant omnes? Hîc, hîc nimirum [13] πολιτευτέον. Nam [14] istic non solùm non licet, sed etiam tædet. Itaque [15] ἀνέκδοτα, quæ tibi uni legamus, Theo-

3. *Serapione*] Vide sup. ep. 4.

4. *Hipparcho*] Hipparchus Nicænus Astrologorum suæ ætatis princeps, de quo vide G. Voss. de Scient. Mathemat. c. 33.

5. *Tyrannio*] Homo reprehendendi & exagitandi studiosus. Tyrannio Grammaticus, cùm antea Theophrastus diceretur, hoc nomen accepit quòd puer condiscipulos exagitaret. Præceptor in patria fuit Strabonis Geographi civis sui, ut ille testatur lib. XII. Amasum describens. Inde Romam captivus ductus à Lucullo post devictum Mithridatem, ibi clarus atque dives evasit, & librorum ultra tres myriades paravit: inter quos erant Aristotelis opera, quæ Apellico Teius possederat. Floruit amicitiâ Pompeii, Luculli, Ciceronum, quorum filios etiam erudivit ep. 4. lib. II. ad Fratr. lib. II. ep. 6. ad Atticum, Plut. in Sylla, Suidas. Popma.

6. Ὁμοειδεῖς] Sibi similes.

7. Ἀνθηροσταφεῖσθ] Floridè scribi.

8. *Antii*] Cùm hæc Cicero scribebat, non erat Antii, sed in prædio quodam Antii finitimo, & agro Antiati attributo, ubi, ut opinor, villam habuit. Bosius.

9. *Duumvirum*] Alludit ad numerum Consulum Romanorum, quos festivè Duumviros, quia bini quotannis creabantur, appellat, à similitudine eorum magistratuum, qui coloniis & municipiis præerant, & à numero Duumviri dicebantur. Malebat ergo fuisse Duumvir Antii, quæ colonia erat populi Romani, quàm Duumvir, id est, Consul Romæ. Idem.

10. *Buthroti*] In oppido Epiri, ubi possis esse in solitudine. Ep. 7. lib. III.

11. *Proxima*] Solitudine: & Antium Buthrotum est Romæ, ut illud Corcyræ. Corradus.

12. *Esse locum tam propè Romam*] Iste infinitivus nihil habet à quo pendeat. Sed sic solent in admirationibus, & indignationibus, subintelligentes, mirandum est, incredibile est, aut tale quid. Grævius.

13. Πολιτευτέον] Administranda Resp.

14. *Istic*] Romæ. Corradus.

15. Ἀνέκδοτα] Quæ fuerint ἀνέκδοτα, quisdve continuerint, paucis adhuc notum esse video. Ego librum arbitror significari illum, quem M. Tullius, honestissimo quidem nomine *de suis consiliis* inscripserat, sed re vera in eo illud egit, ut sceleratos cives ulciscereturr, & ad annos sexcentos, quid ipse in Republica, quid illi sensissent, testatum legeretur. Namque in eos acerbissimè est invectus. Quod ne vel sibi, vel Marco filio, fraudi aliquando esset, librum obsignatum occultatúmque esse voluit, non modò se, sed filio quoque vivente. Et id esse arbitror, quod hic ἀνέκδοτον vocat, uníque Attico tanquam uni sibi, legi vult. Theopompum verò utrum existimemus intelligi oportere, Comicúmne illum, de quo Suidas

pompino genere, aut etiam aſperiore multò, pangentur. Neque aliud jam quicquam [16] πολιτεύομαι, niſi odiſſe improbos, & id ipſum nullo cum ſtomacho, ſed potiùs cum aliqua ſcribendi voluptate. Sed ut ad rem, ſcripſi ad Quæſtores urbanos [17] de Quinti fratris negotio. Vide, quid narrent, ecqua ſpes ſit denarii, an ciſtophoro Pompeiano jaceamus. Præterea [18] de muro ſtatue quid faciendum ſit. Aliud quid? etiam. Quando te proficiſci iſtinc putes, fac ut ſciam.

Suidas, an potiùs hiſtoriæ ſcriptorem? Siquidem & hunc in ſuorum temporum ſcriptores invehi ſolitum eſſe, & Lucianus, & Æmilius Probus, & Dionyſius, initio ſuarum hiſtoriarum tradunt. MALASPINA.

16. Πολιτεύομαι] Opera, quam nunc quidem, Antii dum ſum, reipublicæ navo, hæc eſt, odiſſe improbos. MANUTIUS.

17. *De Q. Fratris*] Quæſtores urbani curabant magiſtratibus provincialibus quod ex ærario in ſumptum debebatur. Ideò Q. Cicero Proprætor ex Aſia diſceſſurus, cupiebat hoc ſibi ab illis curari denario, id eſt, Romano nummo: illi verò factâ verſurâ cum Pompeio numerare volebant ex eâ pecuniâ quam Pompeius confecto bello Mithridatico in Aſia in ciſtophoro nummo locaverat. POPMA. Denarius Romanus parùm aberat quin duplo ſuperaret æſtimationem ciſtophori, Aſianorum nummi, ſic appellati, quòd in eo ciſtiferi eſſent ſculpti, qui ſacrorum myſticorum ciſtis incluſorum arcana ferebant, ut in Cybelæ myſteriis, Bacchi orgiis, Cereris initiis. Quatuor enim Denarii ſeptem ciſtophoros cum ſemiſſe valebant. TURNEBUS, Adverſ. III. cap. 5, & 23.

18. *De muro*] Vide ſuprà ep. 4. extremâ.

CICERO ATTICO SAL.

7 DE geographia etiam atque etiam deliberabimus. Orationes autem me duas poſtulas: quarum alteram non libebat mihi ſcribere, quia abſcideram; alteram, ne laudarem eum, quem non amabam. Sed id quoque videbimus. Denique aliquid extabit, ne tibi planè ceſſaſſe videamur. [1] De Publio quæ ad me ſcribis, ſanè mihi [2] jucunda ſunt: eáque etiam velim, omnibus veſtigiis indagata, ad me afferas, cùm venies; & interea ſcribas, ſi quid intelliges, aut ſuſpicabere: & maximè de legatione quid ſit acturus. Equidem antè quàm tuas legi literas, [3] in hominem ire cupiebam; non mehercule, [4] ut differrem cum eo

1. *De Publio*] P. Clodio.

2. *Jucunda ſunt*] Clodium contemnere legationem ad Tigranem. CORRADUS.

3. *In hominem*] Tolle præpoſitionem, *In*: ſententia patebit. MANUTIUS. *In* expungere non auſim contra librorum omnium fidem. Fortè ſcripſit Tullius: *iſtim hominem* &c. *Iſtim* pro *iſtinc* Ciceronem uſurpaſſe pluribus docuit Victorius. GRÆVIUS.

4. *Ut differrem cum eo vadimonium*] Ut in aliud tempus diem quaſi litigandi cum Clodio differrem, quaſi nunc litigare non poſſem: μεταφορᾷ. CORRADUS.

eo vadimonium; (nam mirâ ſum alacritate ad litigandum) ſed videbatur mihi, ſi quid eſſet in eo populare, quòd plebeius factus eſſet, id [5] amiſſurus. Quid enim ad plebem tranſiſti? ut Tigranem ires ſalutatum? narra mihi, reges Armenii patricios ſalutare non ſolent? Quid quæris? acueram me ad exagitandam hanc ejus legationem. Quam ſi ille contemnit, &, ſi, ut ſcribis, bilem id commovet & latoribus, & auſpicibus [6] legis curiatæ, ſpectaculum egregium. Hercule, verum ut loquamur, ſubcontumeliosè tractatur noſter Publius: primùm, qui cùm in domo Cæſaris quondam [7] unus vir fuerit, nunc ne in Viginti quidem eſſe potuerit: deinde, alia legatio dicta erat, alia data eſt; illa opima ad exigendas pecunias, Druſo, ut opinor, Piſaurenſi, [8] an epuloni Vatinio reſervatur: hæc jejuna, ac [9] bella relegatio datur ei, cujus tribunatus [10] ad iſtorum tempora reſervatur. Incende hominem, amabo te; [11] quod potes. Una ſpes eſt ſalutis, iſtorum inter iſtos diſſenſio, cujus ego quædam initia ſenſi [12] ex Curione. Jam verò Arrius Conſulatum ſibi ereptum fremit. [13] Megabocchus, & hæc ſanguinaria juventus inimiciſſima eſt. Accedat verò, accedat etiam iſta rixa Auguratus.

---

5. *Amiſſurus*] Cùm legatus longè gentium abiret: qui plebeius videretur eſſe factus, non ut inani legationum munere tempus conſumeret, ſed ut Romæ plebis negotium gereret. Manutius.

6. *Legis curiatæ*] Quæ in curiatis comitiis lata erat de Clodio ad plebem traducendo, Cæſare conſule latore, auſpice Pompeio augure. Popma.

7. *Unus vir*] Jocatur Cicero, fallaci quadam à majori ad minus collatione: quia ſi unus vir Clodius fuit in ſacris Bonæ Deæ, cur in vigintiviris eſſe non poſſit agris dividendis? Malaspina.

8. *An epuloni*] Quæ Clodio promiſſa fuerat legatio, eam dicit Druſo, aut Vatinio reſervari. Et eſt uſitata Ciceroni locutio, ambigenti hoc an illud ſit: ut libro I. *Nos hîc te ad menſem Januarium expectamus, ex quodam rumore*, an *ex literis tuis ad alios miſſis?* Manutius.

9. *Bella relegatio*] Non eſt hoc, Clodium legare, ſed ſpecie legationis relegare. Et argutè, cùm poſt verbum, *Jejuna*, adſcripturus videretur, *Legatio*, ut contrarium contrario redderet, quia dixerat, *Opima*, jocum captans, repentè vertit ſententiam, & intulit, *Bella relegatio*. Idem.

10. *Ad iſtorum tempora reſervatur*] Qui enim Clodium nunc ad Tigranem mittunt, ideò mittere videntur, ut comitiis tribunitiis Romæ ne ſit, itáque petitione tribunatûs excludatur. Id autem, ut tribunatum illi non tam eripiant, quàm ad ipſorum tempora reſervent. Quaſi arbitratu ſuo poſſent magiſtratus dare, cùm vellent. Idem.

11. *Quod potes*] Boſius, *quoad pot' eſt.*

12. *Ex Curione*] Vide epiſt. ſeq.

13. *Megabocchus*] Pompeius: qui in his epiſtolis à Cicerone diverſis nominibus appellatur: *Epicrates*, qui omnia teneret; *Sampſiceramus*, *Arabarches*, & *Hieroſolymarius*, hæc loca victoriis adeptus; *Megabocchus*, magnus Africæ Rex, quia Domitium, & Jubam, Syllanis temporibus in Africa vicerat. Bocchus autem in Mauritania, Africæ parte regnaverat. Idem.

guratus. Spero me præclaras de istis rebus epistolas ad te sæpè missurum. Sed, illud quid sit, scire cupio, quod jacis obscurè, jam etiam ex ipsis [14] Quinqueviris [15] loqui quosdam. Quidnam id est? si est enim aliquid, plus est boni, quàm putaram. Atque hæc, sic velim existimes, non me abs te [16] κατὰ τὸ πραχτικὸν quærere; quòd gestiat animus aliquid agere in Republica. Jampridem gubernare me tædebat, etiam cùm licebat: nunc verò cùm cogar exire de navi non abjectis, sed [17] receptis gubernaculis, cupio istorum naufragia ex terra intueri; cupio, ut ait tuus amicus Sophocles, [18] καὶν ὑπὸ στέγῃ Πυκνὰς ἀκούειν ψεκάδος εὐδούσῃ φρενί. [19] De muro, quid opus sit, videbis. [20] Castricianum mendum nos corrigemus: & tamen ad me Quintus [21] clɔ cclɔɔ lɔɔɔ scripserat, nunc ad sororem tuam H-S xxx. Terentia tibi salutem dicit. [22] Cicero tibi mandat, ut Aristodemo idem de se respondeas, quod de fratre suo, sororis tuæ filio, respondisti. [23] De Amalthea quod me admones, non negligemus. Cura ut valeas.

14. *Quinqueviris*] Ad Campanum agrum dividendum creatis. CORRADUS.

15. *Loqui*] Nescio quid contra Cæsarem, Pompeium, & alios. IDEM.

16. Κατὰ τὸ πραχτικὸν] Rei gerendæ causâ.

17. *Receptis*] Sensus est: Cùm cogar omittere rempublicam, non deserto, sed salvo & constante officio. *Non abjectis*, ut faciunt scilicet desperantes gubernatores navium, sed *retractis* in navem & suo commodo depositis. GRONOVIUS.

18. Καὶν ὑπὸ στέγῃ] Et utique sub tecto confertim labentem audire pluviam sopito & quieto animo. *Fragm. Sophocl.*

19. *De muro*] De quo epist. 4, & 6.

20. *Castricianum mendum*] Quiddam significat de Castricio, qui in Asia negotiatus erat: ut ex oratione pro Flacco. MAN.

21. Locus, quem Manutius & Malaspina corruptum dicunt: alii non corrigunt.

22. *Cicero*] Filius meus.

23. *De Amalthea*] Vide ep. 1. h. l.

CICERO ATTICO SAL.

8 EPISTOLAM cùm à te avidè expectarem ad vesperum, ut soleo, ecce tibi nuntius, pueros venisse Româ. Voco, quæro, ecquid literarum? Negant. Quid ais, inquam, nihilne à Pomponio? Perterriti voce & vultu, confessi sunt se accepisse, sed excidisse in viâ. Quid quæris? permolestè tuli: nulla enim abs te per hos dies epistola inanis aliquâ re utili & suavi venerat. Nunc, si quid in ea epistola, quam ante diem XVI. Kal. Maii dedisti, fuit historiâ dignum, scribe quamprimùm, ne

ne ignoremus: sin nihil præter jocationem, redde id ipsum. Et scito Curionem adolescentem venisse ad me salutatum. Valde ejus sermo [1] de Publio cum tuis literis congruebat. Ipse verò mirandum in modum [2] reges odisse superbos. Peræquè narrabat incensam esse juventutem, neque ferre hæc posse. Bene habemus; nos, si in his spes est, opinor, aliud agamus. Ego me do historiæ. *Quanquam, licet me* [3] *Saufeium putes esse, nihil me est inertius. Sed cognosce itinera nostra; ut statuas: ubi nos visurus sis. In Formianum volumus venire* [4] Parilibus, *inde (quoniam putas prætermittendum nobis esse hoc tempore* [5] Cratera *illum delicatum)* Kal. Maii, de Formiano proficiscemur, ut Antii simus a. d. v. Non. Maii. Ludi enim Antii futuri sunt à IV. ad prid. Non. Maii. Eos Tullia spectare vult. Inde cogito in Tusculanum, deinde Arpinum, Romam a. d. Kal. Jun. Te aut in Formiano, aut Antii, aut in Tusculano, cura, ut videamus. Epistolam superiorem restitue nobis, & appinge aliquid novi.

1. *De Publio*] Clodio.

2. *Reges odisse superbos*] Qui supra leges esse vellent, Cæsarem, Pompeium & Crassum. Nec dubito, quin sit hemistichium ex vetere poeta, cùm in illud inspicio, quod legitur lib. VI. epist. 3. *Tibi valdè solet in ore esse. Gravius autem non contemnere se, & reges odisse superbos.* Man.

3. *Saufeium*] Saufeio similem, hominem in studiis laboriosum. Gronov. De Saufeio vide epist. 1. lib. I. & 1. lib. VII.

4. *Parilibus*] XI, vel, ut alii volunt, XII Kal. Maii. Corradus.

5. *Cratera*] Baias notat συνεκδοχικῶς, ad quas verno tempore causâ valetudinis confluebant multi. Nam Baiæ comprehenduntur eo sinu qui dictus est Crater, ut ex Strabone annotat Bosius. Junius.

Cicero Attico Sal.

Si vales, bene est. Cùm mihi dixisset Cæcilius Quæstor puerum se Romam mittere, hæc scripsi raptim, ut tuos elicerem mirificos cum Publio dialogos; cùm eos de quibus scribis, tum illum, quem abdis, & ais, longum esse, quæ ad ea responderis, perscribere: [1] illum verò, qui nondum habitus est, quem illa [2] βοῶπις, cùm è Solonio redierit, ad te est relatura, 9

1. *Illum verò*] Σολοικισμὸς Græcis, & Ciceroni usitatus. Corradus.

2. *Βοῶπις*] Ἐπίθετον Junonis apud Homerum, quasi bovinos habens oculos. Cicero transtulit ad Clodii sororem, tanquam alteram Junonem, quæ cum fratre coire diceretur. Ep. 1. Manutius.

tura, sic velim putes, nihil hoc posse mihi esse jucundius. Si verò, quæ de me [3] pacta sunt, ea non servantur; in cælo sum: ut sciat hic noster [4] Hierosolymarius, [5] tradutor ad plebem, quàm bonam meis [6] putissimis orationibus gratiam retulerit: quarum expecta divinam [7] παλινῳδίαν. Etenim, quantùm conjecturâ auguramur, si erit [8] nebulo iste cum his dynastis in gratia, non modò [9] de Cynico consulari, sed ne de istis quidem piscinarum Tritonibus poterit se jactare. Non enim poterimus ulla esse in invidia, spoliati opibus, & illâ senatoriâ potentiâ. Sin autem ab his dissentiet; erit absurdum in nos invehi. Veruntamen invehatur. Festivè, mihi crede, & minore sonitu, quàm putaram, orbis hic in Republica est conversus: citiùs omnino, [10] quàm potuit; id culpâ [11] Catonis, sed rursus improbitate istorum, qui [12] auspicia, qui Æliam legem, qui Juniam, & Liciniam, qui Cæciliam, & Didiam neglexerunt; qui omnia remedia Reipublicæ effuderunt; qui regna, qui prædia tetrarchis, qui immanes pecunias paucis dederunt. Video jam quò invidia transeat, & ubi sit habitatura. Nihil me existimaris, neque usu, [13] neque à Theophrasto didicisse, nisi brevi tempore desiderari [14] nostra illa tempora videris. Etenim si fuit invidiosa Senatûs potentia; cùm ea non ad populum, sed ad tres homines immoderatos redacta sit, quidnam censes fore? Proinde isti licet faciant, quos volent, consules, tribunos plebis; denique etiam [15] Vatinii strumam sacerdotii [16] διβάφῳ vestiant; videbis brevi

3. *Pacta sunt*] Promiserat Clodius Pompeio, se nihil acturum contra Ciceronem. Ep. 22, & 24. IDEM.

4. *Hierosolymarius*] Pompeius, à Hierosolymis captis. IDEM.

5. *Tradutor ad plebem*] Transduxerat Clodium. Ep. 7. IDEM.

6. *Putissimis*] Luculentis, & splendidè scriptis: quibus illum ornavi. Unde *aurum purum putum*. IDEM.

7. Παλινῳδίαν] Contrariam cantionem, qua Pompeium, quem semper laudavi, nunc vituperem. CORRADUS.

8. *Nebulo iste*] P. Clodius. MANUTIUS.

9. *De Cynico Consulari*] Me ipso, quem ipse Clodius Cynicum Consularem vocat quasi nimis mordacem, & severum, quales erant Cynici Philosophi. CORRADUS.

10. *Quàm potuit*] Subaudi, per publicas rationes. Est enim, *Potuit*, licuit, debuit, æquum fuit. MANUTIUS.

11. *Catonis*] Qui equites à senatu alienavit. Ep. 16. lib. 1. IDEM.

12. *Auspicia.... Æliam* &c.] Hæc omnia centies repetita in Orat. pro Domo, de Haruspic. resp. &c.

13. *Neque à Theophrasto*] Qui scripsit, quæ essent in Republica inclinationes rerum, & momenta temporum, quibus esset moderandum, utcunque res postularet. Lib. V. de Finib. CORRADUS.

14. *Nostra illa tempora*] Quæ fuerunt usque ad Cæsarem, & Bibulum Coss. IDEM.

15. *Vatinii strumam*] Vatinio auguratum deferant. Strumâ tumidum fuisse Vatinii guttur, scribit Plutarchus in Cic. MAN.

16. Διβάφῳ] Purpurâ bis tinctâ, hoc est, veste augurali. CORRADUS.

brevi tempore magnos non modò eos, qui nihil titubarunt, ſed etiam illum ipſum, qui peccavit, Catonem. Nam nos quidem, ſi per iſtum tuum ſodalem Publium licebit, [17] σοφιζεύειν cogitamus: ſi ille cogit [18] ἄντα, tum duntaxat nos defendere; &, quod eſt proprium artis hujus, [19] ἐπαγγέλλομαι,

Ἀνδρὶ ἀπαμύνεσθαι, ὅτε τις πρότερος χαλεπήνῃ.

Patria [20] propitia ſit: habet à nobis, etiam ſi non plus, quàm debitum eſt, plus certè, quàm poſtulatum eſt. Malè vehi malo alio gubernante, quàm, tam ingratis vectoribus, bene gubernare. Sed hæc coram commodiùs. Nunc audi, quod quæris. Antium me ex Formiano recipere cogito a. d. v. Non. Maias. Antio volo Non. Maiis proficiſci in Tuſculanum. Sed cùm è Formiano rediero, (ibi eſſe uſque ad prid. Kalend. Maias volo) faciam ſtatim te certiorem. Terentia tibi ſalutem. [21] Κικέρων ὁ μικρὸς ἀσπάζεται Τίτον Ἀθηναῖον.

17. Σοφιζεύειν Sapientiam quærere, philoſophari miſsâ reipublicæ curâ. Manut.

18. Ἄντα Vox eſt Homerica, quæ contrà, & ex adverſo ſignificat, jungique ſolet cum verbo στῆναι, aut ἐλθεῖν. Sed neutrum Cicero expreſſit, uſus familiari ſuâ & aſſuetâ reticentiâ. Horum igitur verborum ſenſus eſt: *Si Clodius me cogit* ἄντα στῆναι, aut ἄντα ἐλθεῖν, hoc eſt, contra ſe ſtare, aut progredi, quòd me laceſſat, tum cogitamus duntaxat nos defendere. Bosius. Malim: *Si ille cogit; at duntaxat nos defendere.* Hoc eſt, utique nos defendere. J. F. Gronovius.

19. Ἐπαγγέλλομαι Promitto, denuntio, hominem me ulturum, qui prior læſerit. Iliad. Ω 369.

20. *Propitia ſit*] Mihi ignoſcat: veniam det. Quo ſenſu alibi, *Ama me.* Nam quos vehementer amamus, quibus propitii ſumus, iis tam facilè indulgemus, quàm nobis. Malaspina.

21. Κικέρων] *Cicero parvulus ſalutat Titum Athenienſem.*

Cicero Attico Sal.

Volo ames meam conſtantiam. Ludos Antii ſpectare non placet. Eſt enim [1] ὑποσόλοικον, cùm velim vitare omnium deliciarum ſuſpicionem, repentè [2] ἀναφαίνεσθαι non ſolùm delicatè, ſed etiam ineptè peregrinantem. Quare uſque ad Non. Mai. te in Formiano expectabo. Nunc fac, ut ſciam, quo die te viſuri ſimus. Ab Appii foro, horâ quartâ. Dederam aliam paulo antè à Tribus tabernis. 10

1. Ὑποσόλοικον] Subabſurdum.

2. Ἀναφαίνεσθαι] Apparere, videri.

CICERO ATTICO SAL.

11 NARRO tibi, planè relegatus mihi videor, postea quàm in Formiano sum. Dies enim nullus erat, Antii cùm essem, quo die non meliùs scirem, Romæ quid ageretur, quàm ii qui erant Romæ. Etenim literæ tuæ, non solùm quid Romæ, sed etiam quid in republica: neque solùm quid fieret, verùm etiam quid futurum esset, indicabant. Nunc, nisi si quid ex prætereunte viatore exceptum est, scire nihil possumus. Quare quanquam jam te ipsum expecto, tamen isti puero, quem ad me statim jussi recurrere, da ponderosam aliquam epistolam, plenam omnium non modò actorum, sed etiam opinionum tuarum: ac diem, quo Româ sis exiturus, cura ut sciam. Nos in Formiano esse volumus usque ad prid. Nonas Mai. Eò si ante eam diem non veneris, Romæ te fortasse videbo. Nam Arpinum quid ego te invitem?

[1] Τρηχεῖ', ἀλλ' ἀγαθὴ κουροτρόφος. ὅτι ἔγωγε
Ἧς γαίης δύναμαι γλυκερώτερον ἄλλο ἰδέσθαι.

[2] Hæc igitur. Cura ut valeas.

1. Τρηχεῖ'] *Aspera, sed bona puerorum altrix, neque ego hac terra possum dulcius aliud videre.* Sic loquitur Ulysses IX. Odyss. 27. de Ithaca. Quid ego, inquit Cicero, Arpinum te invitem, quod amœnitate delectare non magis potest, quàm Ithaca illa, in asperrimis saxulis tanquam nidulus affixa: fortes tamen viros, non minùs quàm Ithaca, gignit? MANUTIUS.

2. *Hæc igitur*] Habeto. CORRADUS.

CICERO ATTICO SAL.

12 NEGENT [1] illi Publium plebeium factum esse. Hoc verò regnum est, & ferri nullo pacto potest. Emittat ad me Publius qui obsignent: jurabo Cnæum nostrum, [2] collegam Balbi,

1. *Negent illi*] Cùm Cæsar, & Pompeius Clodium ad plebem transduxissent, eóque mox non satis amico uterentur, qui etiam delatam ab iis Armeniam legationem contempsisset; negabant, illum plebeium esse factum, ideóque nec tribunatum posse petere. Hîc Cicero indignans, Quod regnum, inquit, est hoc? fecerunt, quod jure non poterant: nunc, quia pœnituit, factum negant. Sed, si Clodius emittat ad me, qui meum hac de re testimonium tabellis excipiant, & obsignent; jurabo, Cn. Pompeium Antii mihi narrasse, in auspicio se fuisse, cùm Clodius lege Cæsaris ad plebem transduceretur. MANUTIUS.

2. *Collegam*] In vigintiviratu. Epist. 7. Nec

bi, Antii mihi narrasse, se in auspicio fuisse. O suaves epistolas tuas uno tempore mihi datas duas: quibus [3] εὐαγγέλια quæ reddam nescio: deberi quidem planè fateor. Sed vide [4] συγκύρημα. Emerseram commodè ex Antiati in Appiam ad Tres tabernas ipsis Cerealibus, cùm in me incurrit Româ veniens Curio meus. Ibidem ilicò puer abs te cum epistolis. Ille ex me, nihilne audissem novi: ego negare. Publius, inquit, Tribunatum plebis petit. Quid ais? & inimicissimus quidem Cæsaris, & ut omnia, inquit, [5] ista rescindat. Quid Cæsar? inquam. Negat se quicquam de illius adoptione tulisse. Deinde suum, [6] Memmii, [7] Metelli Nepotis exprompsit odium. Complexus juvenem dimisi, properans ad epistolas. Ubi sunt, qui aiunt [8] ζώσης φωνῆς? quanto magis vidi ex tuis literis, quàm ex illius sermone, quid ageretur, [9] de ruminatione quotidiana, [10] de cogitatione Publii, [11] de lituis βοώπιδος, de signifero [12] Athenione, de literis [13] missis ad Cnæum, [14] de Theophanis, Memmiique sermone? Quantam porrò mihi expectationem dedisti convivii istius [15] ἀσελγοῦς? Sum in curiositate [16] ὀξύπεινος: sed tamen facilè patior te id ad me [17] συμπόσιον non scribere; præsentem audire malo. Quòd me ut scribam aliquid, hortaris: crescit mihi quidem materies, ut dicis: sed tota res etiam nunc fluctuat; [18] κατ' ὀπώρίαν τρύξ.

Nec abest ironia: quòd, collegam habere Balbum, hominem Aricinum, honoribus non insignem, Pompeio Magno turpe videri, posset. Idem.

3. Εὐαγγέλια] Boni nuntii præmia.

4. Συγκύρημα] Sortem, casum.

5. Ista] Leges Cæsaris. Quod Clodius in tribunatu conatus est. Vide Orationem pro Domo sua. Manutius.

6. *Memmii*] Quo postea prætore de Cæsaris actis referente, cognitio Senatui delata. Suet. in Cæs. Corradus.

7. *Metelli Nepotis*] Qui molestè fert, Auguratum sibi eripi, ep. 5. h. l. & Pompeium cum Mutia sorore divortium fecisse ep. 9. lib. I. Idem.

8. Ζώσης] *Vivæ vocis*, supple, *major efficacitas*. Proverbium.

9. *De ruminatione quotidiana*] de occultis consiliis, quæ Cæsar, Pompeius, Crassus quotidianâ ruminatione contra rempublicam inirent. Manutius.

10. *De cogitatione Publii*] De rescindendis Cæsaris legibus. Idem.

11. *De lituis βοώπιδος*] P. Clodii sororem intelligit, quæ tanquam lituus fratrem ad contentiones excitaret. Erat enim seditiosa. ep. 1. 9. 12. Idem.

12. *Athenione*] Athenio dux in Sicilia fuit fugitivorum: cujus nomine fortassis hîc designatur Vatinius Tribunus plebis, qui tanquam signifer Cæsaris & Clodii contra optimates stetit: ut indicat oratio in ipsum. Popma.

13. *Missis*] Capuam. Ep. 19. h. l. Corr.

14. *De Theophanis*] Ep. 5. h. l. Idem.

15. Ἀσελγοῦς] Delicati.

16. Ὀξύπεινος] Famelicus.

17. Συμπόσιον] Convivium.

18. Κατ' ὀπώρην] *Per autumnum fax*, supple, *nondum desedit*.

Quæ si desederit, magis erunt judicata quæ scribam: quæ si statim à me ferre non potueris, primus habebis tamen, & aliquandiu solus. [19] Dicæarchum rectè amas. Luculentus homo est, & civis haud paulo melior, quàm isti nostri [20] ἀδικαίαρχοι. Literas scripsi horâ decimâ Cerealibus, statim, ut tuas legeram: sed eas eram daturus, ut putaram, postridie ei, qui mihi primus obvenisset. Terentia delectata est tuis literis: impertit tibi multam salutem: ἢ [21] Κικέρων ὁ φιλόσοφος τὸν πολιτικὸν Τίτον ἀσπάζεται.

19. *Dicæarchum*] Scriptorem luculentum. Epist. 1, & 16. & lib. VI. ep. 2. MANUT.

20. Ἀδικαίαρχοι] Injusti magistratus, cùm Dicæarchus justus magistratus interpretari possit. Intelligit autem Cæsarem & reliquos. CORRADUS.

21. Κικέρων] Jocatur de se ipso: & πολιτικὸν Atticum appellat, quia Dicæarchum secutus anteponeret τὸ πραγματικὸν βίον τῷ θεωρητικῷ. Epist. 16. MANUTIUS.

CICERO ATTICO SAL.

13 FACINUS indignum: epistolam [1] αὐθωρεὶ tibi à Tribus tabernis rescriptam ad tuas suavissimas epistolas neminem reddidisse? At scito eum fasciculum, quò illam conjeceram, domum eo ipso die latum esse, quo ego dederam, & ad me in Formianum relatum esse: itaque tibi tuam epistolam jussi referri; ex qua intelligeres, quàm mihi tum illæ gratæ fuissent. Romæ quod scribis sileri; ita putabam. At hercule in agris non siletur: nec jam ipsi agri regnum vestrum ferre possunt. Si verò in hanc [2] Τηλέπυλον veneris Λαιστρυγονίδων, ([3] Formias dico) qui fremitus hominum? quàm irati animi? quanto in odio noster amicus Magnus? [4] cujus cognomen unà cum Crassi Divitis cognomine consenescit. Credas mihi velim; neminem adhuc offendi, qui hæc tam lentè, quàm ego fero, ferret. Quare, mihi crede, [5] φιλοσοφῶμεν. Juratus tibi possum dicere, nihil esse tanti.

1. Αὐθωρεὶ] Eâdem ipsâ horâ.

2. Τηλέπυλον] *Telepylum Læstrygoniam.* Odyss. K. Vide Cluver. *Ital. ant.* III. 10.

3. *Formias*] Antiquam Læstrygonum sedem. Plin. III. cap. 5. CORRADUS.

4. *Cujus cognomen*] Pompeii cognomen illud, Magnus, suam celebritatem, honorémque amittit: quemadmodum & Crassi, qui Dives ex opibus appellatus est, opibus imminutis cognomen paulatim extinguitur. MANUTIUS.

5. Φιλοσοφῶμεν] Philosophemur.

tanti. Tu si [6] *literas ad Sicyonios habes, advola in Formianum: unde nos prid. Non. Mai. cogitamus.*

6. Literas ad Sicyonios] Scriptas à Consulibus: ut Sicyonii, qui te lædebant (ep. 1. hujus libri) tibi pecuniam solvant, *advola*, profecturus in Epirum. Corrad.

Cicero Attico Sal.

Quantam tu mihi moves expectationem de sermone [1] *Bibuli? quantam de colloquio βοώπιδος? quantam etiam de illo delicato convivio? proinde ita fac venias ad sitientes aures. Quanquam nihil est jam, quod magis timendum nobis putem, quàm ne ille noster* [2] *Sampsiceramus, cùm se omnium sermonibus sentiet vapulare, & cùm has actiones* [3] *εὐαναλρέπλους videbit,* [4] *ruere incipiat. Ego autem usque eò sum enervatus, ut hoc otio, quo nunc tabescimus, malim* [5] *ἐντυραννεῖσθαι, quàm cum optima spe dimicare. De pangendo quòd me crebrò abhortaris, fieri nihil potest.* [6] *Basilicam habeo, non villam, frequentiâ Formianorum.* [7] *At quam partem basilicæ? tribum Æmiliam. Sed,* [8] *omitto vulgus, post horam* IV *molesti* [9] *cæteri non sunt. C. Arrius proximus est vicinus. Immò ille quidem jam contubernalis; qui etiam se idcirco Romam ire negat, ut hîc mecum totos dies philosophetur. Ecce ex altera parte Sebosus, ille Catuli familiaris. Quò me vertam? statim mehercule Arpinum irem, ni* — 14

1. *Bibuli*] Quia scripserat Atticus, se cum M. Bibulo sermonem habiturum, etiam cum Clodia Publii sorore. Manut.

2. *Sampsiceramus*] Pompeius.

3. Εὐαναλρέπλους] Faciles ad evertendum.

4. *Ruere*] Aliquid conari, quo magis rempublicam perturbet. J. F. Gronov.

5. Ἐντυραννεῖσθαι] Sub tyranno esse, à tyranno regi: sic *malè vehi alio gubernatore*, ep. 9. h. l. Corradus.

6. *Basilicam habeo, non villam*] Locum frequentem, ut Romæ sunt basilicæ. Id.

7. *At quam partem*] In basilicis quæque Tribus certum & designatum locum habebat. Tribus autem Æmilia, plenissima omnium Tribuum erat. Cùm ergo dixisset basilicam se habere Formianorum frequentiâ, non villam; subjunxit, At non quamlibet basilicæ partem; Tribum, inquit, habeo Æmiliam. Goveanus. Ita etiam Victorius edidit. Sed Manutius, *At comparem basilicæ* &c. Bosius verò, *At quam parem basilicæ* &c. Quo modo interpretentur, alii legant apud Grævium, ego non satis intelligere potui. Olivetus.

8. *Omitto vulgus*] Κατὰ παρένθεσιν dictum est *omitto vulgus*. Innuit enim qualibet horâ diei molestissimum esse vulgus Formianorum, nedum post quartam solùm. Bos.

9. *Cæteri*] Cæteri qui sunt Formiis mihi molesti non sunt post horam quartam. Nam ante eam horam me valdè salutationibus interpellant. Reliquum tempus diei C. Arrius, & Sebosus me non sinunt tranquillè & quietè ducere, ita odiosè importuni sunt. Idem.

ni te in Formiano commodissimè expectari viderem, duntaxat ad prid. Non. Mai. Vide enim quibus hominibus aures sint deditæ meæ. [10] Occasionem mirificam, si qui nunc, dum hi apud me sunt, emere de me fundum Formianum velit. Et tamen illud [11] probem? *Magnum quid aggrediamur, & multæ cogitationis, atque otii.* Sed tamen satisfiet à nobis, neque parcetur labori.

10. *Occasionem*] Quoniam, dum frequentiæ hujus me tædet, facilè, & minoris fundum venderem. CORRADUS.

11. *Probem*] Legendum cum interrogatione, quasi dicat, fieri non potest, cùm singulis horis interpeller, ut id, quod suades, probem, & magnum aliquid aggrediar, & multæ cogitationis. Nam hæc verba, *magnum aliquid aggrediamur*, &c. descripsit ex epistola Attici. BOSIUS.

CICERO ATTICO SAL.

15 UT scribis, ita video, non minùs incerta in Republica, quàm in epistola tua: sed tamen ista ipsa me varietas sermonum, opinionúmque delectat. Romæ enim videor esse, cùm tuas literas lego, &, ut fit in tantis rebus, modò hoc, modò illud audire. Illud tamen explicare non possum, [1] quidnam invenire [2] possit, nullo recusante, ad facultatem agrariam. Bibuli autem ista magnitudo animi in [3] comitiorum dilatione, quid habet, nisi ipsius judicium sine ulla correctione Reipublicæ? nimirum [4] in Publio spes est: fiat, fiat Tribunus plebis: si nihil aliud, ut eò citiùs tu [5] ex Epiro revertare. Nam ut illo tu careas, non video posse fieri; præsertim si mecum aliquid volet disputare. Sed id quidem non dubium est, quin, si quid erit ejusmo-

1. *Quidnam*] Scripserat Atticus inventum iri quiddam à Cæsare super agrariâ re, quod nemo improbaret, nemo recusaret. Ep. 15. MANUTIUS.

2. *Possit*] Julius Cæsar.

3. *Comitiorum dilatione*] Bibulus, domo pedem non efferens, edictis comitia differebat. Neque videntur hæc fuisse comitia consulum designandorum, (quippe ante Quintilem mensem non designabantur, hæc autem Aprili mense scripta sunt) sed legis agrariæ rogandæ. MANUTIUS.

4. *In Publio spes est*] Afflicta respublica jacet, quam Bibulus erigere non potest, qui se, Cæsaris metu, parietibus tenet. Quis igitur eriget? spes jam nulla superest, nisi in Clodii tribunatu, qui istorum est inimicissimus: ergo, etsi video, quæ mihi ab illo tempestas impendeat, fiat tamen, fiat tribunus plebis. Et protulit hoc Cicero cum indignatione; quòd reipublicæ salus in uno posita videatur, homine omnium perditissimo. Ep. 12. IDEM.

5. *Ex Epiro*] Quò Atticus propediem erat iturus, ad exigendas à Sicyoniis pecunias. IDEM.

ejuſmodi, ſis advolaturus. Verùm ut hoc non ſit; tamen ſeu [6] ruet, ſeu eriget Rempublicam, [7] præclarum ſpectaculum mihi propono, modò te conſeſſore ſpectare liceat. Cùm hæc maximè ſcriberem, ecce tibi Seboſus. Nondum planè ingemueram; Salve, inquit Arrius. Hoc eſt, Româ decedere? quos ego homines effugi, cùm in hos incidi? Ego verò [8] *in montes patrios, & ad incunabula noſtra* pergam. Denique, ſi ſolus non potuero, cum *ruſticis potius*, quàm cum his perurbanis: ita tamen, ut, *quoniam tu certi nihil ſcribis*, in Formiano tibi præſtoler uſque ad III Non. Mai. Terentiæ pergrata eſt aſſiduitas tua, & diligentia in controverſia [9] Mulviana. Neſcit omnino, te communem cauſam defendere eorum, qui [10] agros publicos poſſideant. Sed tamen tu aliquid publicanis pendis; hæc etiam id recuſat. Ea tibi igitur, & Κικέρων, [11] ἀειοκεφατικώτατος παῖς, ſalutem dicunt.

6. *Ruet*] Videtur opponi verbo, *eriget*, & ſignificare evertet, ut apud Terentium Adelphis, *cæteros ruerem, agerem, raperem, tunderem, proſternerem:* & Virgilium, Georg. I. 105. Bosius.

7. *Præclarum*] Seu eum viderimus fruſtrà multa machinari; nobis enim cum illo diſputare, ejúſque molitionibus obviam ire certum eſt: ſeu erigere rempublicam, & illis adverſari, qui eum ad plebem deduxerunt. Grævius.

8. *In montes*] Ad montes Arpinates. Verſum hunc Ennianum eſſe putabat Gulielm.

9. *Mulviana*] Publicani publica conducebant. Ideò Mulvius, cognitor, ut puto, publicanorum, publicos agros à privatis vindicare conabatur, ut publicanorum vectigal augeretur. Manutius.

10. *Agros publicos*] Agri publici, de hoſtibus capti, tria genera, unum, quod colonis donabatur; alterum, quod à cenſoribus in quinquennium locabatur; tertium, quod ob vaſtitatem, quæ ferè bellum conſequi ſolet, iis, qui colere vellent, in perpetuum aſſignabatur, impoſito annuo vectigali, ut arbuſtorum quinta, frugum decima, pecoris etiam quædam pars penderetur. Quod ab Appiano lib. I. Bellorum civilium ſcriptum eſt. Ex hoc tertio genere erant agri, quos Terentia, & Atticus poſſidebant. Sed Atticus legitimum vectigal publicanis pendebat: qui fortaſſe cum illo agrorum genere, de quo ſecundo loco mentionem fecimus, hoc etiam tertium de cenſoribus conduxerant, non ut fructus ipſi perciperent, ſed ut vectigal illud, cujus admodum facilis exactio non eſſet, ſuo periculo exigerent. Terentia ne vectigal quidem illud, ſatis tenue, pendere volebat; credo, ne beneficium amitteret lege Thoriâ datum. Nam Sp. Thorius, ut ait Cicero in Bruto, agrum publicum vectigali levaverat. Sed videtur ejus legis auctoritas, ut aliarum quoque legum, vetuſtate contemni cœpta: itaque multi, quorum in numero Atticus erat, vectigal, tanquam lege illâ abrogatâ, pendebant: nonnulli verò, in quibus erat Terentia, tanquam lege Thoriâ manente, recuſabant. Terentiæ negotium agebat Atticus, eò libentiùs, ut Cicero ſignificat, quia, ſi ſecundùm Terentiam in eâ cauſâ judicatum eſſet, ipſe etiam de pendendo vectigali recuſaſſet, immunémque agrum publicum legis Thoriæ beneficio poſſediſſet. Mulviana vocatur controverſia, quia Mulvius, ut puto, publicanorum cauſam procuraret. Id.

11. Ἀειοκεφατικώτατος] Optimatium ſtudioſiſſimus puer.

CICERO ATTICO SAL.

16 COENATO mihi, & jam dormitanti, prid. Kal. Mai. epistola est illa reddita, in qua de agro Campano scribis. Quid quæris? Primùm ita me pupugit, ut somnum mihi ademerit, sed id cogitatione magis, quàm molestiâ. Cogitanti autem hæc ferè succurrebant. Primùm ex eo, quòd superioribus literis scripseras, ex familiari te [1] illius audisse, prolatum iri aliquid, quod nemo improbaret; majus aliquid timueram: hoc mihi ejusmodi non videbatur. Deinde, ut me [2] ego consoler, omnis expectatio largitionis agrariæ in agrum Campanum videtur esse [3] derivata: qui ager, ut dena jugera sint, non amplius hominum quinque millia potest sustinere. [4] Reliqua omnis multitudo [5] ab illis [6] abalienetur necesse est. Præterea, si ulla res est, quæ bonorum animos, quos jam video esse commotos, vehementiùs possit incendere, hæc certè est, & eò magis, quòd portoriis Italiæ sublatis, agro Campano diviso, quod vectigal supereſt domesticum, præter [7] vicesimam? quæ mihi videtur unâ conciunculâ, clamore [8] pedissequorum nostrorum, esse peritura. Cnæus quidem noster jam planè quid cogitet nescio,

[9] Φυσᾷ γὰρ ἐ σμικροῖσιν αὐλίσκοις ἔπι,
Ἀλλ' ἀγείαις φύσαισι φορβειᾶς ἄτερ.

Qui

1. *Illius*] Cæsaris. MANUTIUS.

2. *Ego*] *Egomet*. BOSIUS *Baluzianus*.

3. *Derivata*] Expectatio illa omnis de agraria re hunc exitum habet, ut ager Campanus plebi dividatur. MANUTIUS.

4. *Reliqua*] Quia viginti hominum millia divisionem agrorum petebant, & consecuti sunt. 1. Velleius lib. II. App. lib. II. IDEM.

5. *Illis*] Qui legem agrariam tulerunt. IDEM.

6. *Abalienetur*] Id non accidit: quia Cæsar, cùm agrum Campanum intelligeret tantæ multitudini non sufficere, præterea Stellatem Campanum divisit. Suetonius. ID.

7. *Vicesimam*] Vicesima fuit vectigal quod capiebatur ex libertorum manumissione, & pendebatur à dominis, & servorum emptione, quod ab emptore solvebatur: de quo vide J. Lipsium ad Tacit. XIII. Ann. cap. 31. GRÆVIUS.

8. *Pedissequorum*] Infimæ plebis, quæ, si quis tribunus de tollenda vicesima concionaretur, clamore statim esset approbatura. MANUTIUS.

9. Φυσᾷ γὰρ] Horum Sophocleorum versuum, quos & Dionysius Longinus περὶ ὕψους Sect. 3. commemoravit, interpretatio non eadem est, neque omnes verum sensum adsecuti sunt. *Φορβειὰ* quid sit, docuere Salmas. ad Solin. & interpretes ad Longinum, nempe capistrum, quo tibicines spiritum coercent, ne nimius & immoderatus in tibiam irrumpat. Hinc ἄτερ φορβειᾶς metaphoricè est *sine modo*. Cæcilium dicit Longinus esse egregio spiritu, sed

Qui quidem etiam [10] istuc adduci potuerit. Nam adhuc hoc [11] ἐσοφίζετο, se leges Cæsaris probare; actiones ipsum præstare debere: agrariam legem sibi placuisse: potuerit intercedi nécne, nihil ad se pertinere: de rege [12] Alexandrino placuisse sibi aliquando confici; Bibulus de cælo tum servasset, nécne, sibi quærendum non fuisse: de Publicanis, voluisse illi ordini commodare; quid futurum fuerit, si Bibulus tum [13] in forum descendisset, se divinare non potuisse. Nunc verò, Sampsicerame, quid dices? vectigal te nobis [14] in monte Antilibano constituisse, agri Campani abstulisse? quid, hoc quemadmodum [15] obtinebis? oppressos vos, inquit, tenebo exercitu Cæsaris. Non mehercule me tu quidem tam isto exercitu, quàm ingratis animis eorum hominum, qui appellantur boni: qui mihi non modò præmiorum, sed ne sermonum quidem unquam fructum ullum, aut gratiam retulerunt. Quòd si [16] in eam me partem incitarem, profectò jam aliquam reperirem resistendi viam. Nunc prorsus hoc statui, ut quoniam tanta controversia est Dicæarcho, familiari tuo, cum Theophrasto amico meo, ut ille tuus [17] τὸν πρακτικὸν βίον longè omnibus anteponat, hic autem [18] τὸν θεωρητικὸν, utrique à me mos gestus esse videatur. Puto enim me Dicæarcho affatim satisfeciſſe: respicio nunc [19] ad hanc familiam, quæ mihi non modò ut requiescam permittit; sed reprehendit, quia non semper quierim. Quare incumbamus, ô

sed cùm temperare eum non possit, nimiùm evehi, & inde tumorem, μετέωρα, existere. Sic cùm Pompeius dicitur magnis tibiis uti, & vehementer eas inflare, sed sine capistro, hoc dicitur: Pompeium viribus suis, quæ magnæ sint, abuti, & cùm cupiditatibus suis modum imponere non possit, nimis altè evolare velle, eáque cupere, quæ aut ferri non possint, aut ipse non possit consequi. Ernest.

10. *Istuc adduci*] Adduci, ut agri Campani divisionem, rem turpissimam, & reipublicæ maximè exitiosam, Cæsari gratificans probaret. Manutius.

11. Ἐσοφίζετο] Cavillabatur, & cavillando dicebat, quæ sequuntur. Corradus.

12. *Alexandrino*] Ut rex Alexandriæ Ptolemæus à senatu & populo Romano socius appellaretur. Cæsar lib. III. de Bello civili. Manutius.

13. *In forum*] Quo descendenti Bibulo inter cæteras injurias cophinus stercoris superfusus est. Plut. in Cat. Corradus.

14. *In monte Antilibano*] In longinquis regionibus vectigal dedisse populo Romano, domesticum abstulisse? De monte Antilibano Plin. I. V. Strabo lib. XVI. Man.

15. *Obtinebis*] Excusabis, tueberis, ut homines non reprehendant. Idem.

16. *In eam partem*] Contra tam iniquam paucorum dominationem. Idem.

17. Τὸν πρακτικὸν] Vitam, quæ in rebus gerendis versatur.

18. Τὸν θεωρητικὸν] Quæ in rerum contemplatione versetur.

19. *Ad hanc familiam*] Ad Theophrasti sectam. Manutius.

noſter Tite, ad illa præclara ſtudia: & eò, unde diſcedere non oportuit, aliquando revertamur. Quod de Quinti fratris epiſtolâ ſcribis, ad me quoque fuit [20] πρόσω λέων ὄπιθεν δὲ. Quid dicam neſcio. Nam ita deplorat primis verſibus manſionem ſuam, ut quemvis movere poſſit: ita rurſus remittit, ut me roget, [21] ut annales ſuos emendem, & edam. Illud tamen, quod ſcribit, animadvertas velim, [22] de portorio circumvectionis; ait ſe de conſilii ſententia rem ad Senatum rejeciſſe. Nondum videlicet meas literas legerat; quibus ad eum, re conſultâ & exploratâ, perſcripſeram, non deberi. Velim, ſi qui Græci jam Romam ex Aſia de eâ causâ venerunt, videas, &, ſi tibi videbitur, his demonſtres, quid ego de ea re ſentiam. [23] Si poſſum diſcedere, ne cauſa optima in Senatu pereat, ego [24] ſatisfaciam Publicanis; [25] εἰ δὲ μὴ, (verè tecum loquar) in hac re malo univerſæ Aſiæ, & negotiatoribus: nam eorum quoque vehementer intereſt. Hoc ego ſentio valdè nobis opus eſſe. Sed tu id videbis. Quæſtores autem, quæſo, num etiam [26] de ciſtophoro dubitant? nam ſi aliud nihil erit, cùm erimus omnia experti, ego illud ne quidem contemnam, [27] quod extremum

---

20. Πρόσω λέων] *Antè leo, ſed à tergo &c.* Hoc dicit, Ut Quintus frater in epiſtolâ ad te ſcriptâ, ita ad me quoque ſcribens fuit varius & inconſtans, ut qui in primâ parte epiſtolæ de manſione ſua in Aſia valde ſollicitus eſſet, in altera minimùm laboraret. Homericus verſus integer eſt Iliad. VI. 181. POPMA.

21. *Ut annales ſuos emendem*] Tanquam diù abfuturus. De annalibus Quinti Ciceronis vide lib. XIII. ep. 13.

22. *De portorio*] Cùm publicani pro rebus, quæ circumvehebantur, portorium ſibi dicerent deberi, provinciales, & negotiatores negarent: proprætor Quintus, dubiâ ſententiâ fluctuans, rem ad ſenatum rejecit. MANUTIUS.

23. *Si poſſum diſcedere*] Elegans ſententia, nec tamen adhuc, ut video, ſatis nota. Neque enim, *Diſcedere*, propriè hîc accipiendum, ſed μεταφορικῶς: quaſi dixerit: Si poſſum conſequi, ſi hunc exitum res habere poteſt, ne Græci causâ cadant. Idem verbum Terentius quoque uſurpavit eodem ſenſu: apud quem ita loquitur Geta ſervus in Phormione: *Modò ut hoc conſilio poſſit diſcedi, ut iſtam ducat.* IDEM.

24. *Satisfaciam publicanis*] Aliis rebus; cùm in hac eorum animos offendamus. ID.

25. Εἰ δὲ μὴ] Refertur ad proximum verbum, *Satisfaciam.* Si contigerit, inquit, ut publicanis deinde ſatisfacere non poſſim; haud tamen in mentem veniet pœnitere, quòd in hâc causâ, quæ optima eſt, univerſæ Aſiæ, & negotiatoribus ſatisfacere maluerim. IDEM.

26. *De ciſtophoro*] Quod Quinto fratri, Aſiæ proprætori, à populo Romano debetur, id vellem denario, id eſt, Romanâ pecuniâ, curari. Quæſtores autem primò volebant ciſtophoro, hoc eſt Aſiatico nummo: nunc etiam id videntur recuſare. ID.

27. *Quod extremum eſt*] Ut numerentur nobis ciſtophori, ſummâ quæſtorum injuriâ, qui cogant nos Romæ uti Aſianâ pecuniâ. IDEM.

mum est. Te in Arpinati videbimus, & hospitio agresti accipiemus; quoniam [28] maritimum hoc contempsisti.

28. *Maritimum*] Formianum: quò expectatus venire noluisti. Manutius.

Cicero Attico Sal.

PRORSUS, ut scribis, ita sentio. Turbatur [1] Sampsiceramus. Nihil est, quod non timendum sit. [2] Ὁμολογουμένως τυραννίδα συσπευάζεται. Quid enim ista repentina [3] affinitatis conjunctio, quid ager Campanus, quid [4] effusio pecuniæ significant? quæ, si essent extrema, tamen esset nimium mali: sed ea natura rei est, ut hæc extrema esse non possint. Quid enim eos hæc ipsa per se delectare possunt? Nunquam huc venissent, nisi ad alias res pestiferas aditus sibi compararent. Dii immortales! Verùm, ut scribis, hæc in Arpinati a. d. VI. circiter Id. Maias non deflebimus, ne & opera & oleum [5] philologiæ nostræ perierit: sed conferemus tranquillo animo. Neque tam me [6] εὐελπιστία consolatur, ut antea, quàm [7] ἀδιαφορία; quâ nullâ in re tam utor, quàm in hac civili & publica. Quin etiam, quod est subinane in nobis, & non [8] ἀφιλόδοξον, (bellum est enim sua vitia nosse) [9] id afficitur quadam delectatione: solebat enim me pungere, ne Sampsicerami merita in patriam ad 17

1. *Sampsiceramus*] Pompeius turbatur cùm se omnium sermonibus sentit vapulare. Ep. 14. h. l. Corradus. Veteres libri, *turbatur*. Emendavi, *turbat vi*. Videtur enim Cicero significare Pompeium vi turbas ciere. Bosius.

2. Ὁμολογουμένως] Planè, & apertè tyrannidem affectat.

3. *Affinitatis*] Juliam, Cæsaris filiam, Pompeius duxerat uxorem, quæ, antequàm Pompeio collocaretur, desponsa fuerat Servilio Cæpioni. Manutius.

4. *Effusio pecuniæ*] Cur suasit effusionem pecuniæ publicæ ad emendos agros & plebi dividendos, quod Cæsaris lege agrariâ continebatur: etsi agri postea empti non sunt, & pecuniam sumptam ex ærario Clodius Tribunus plebis dedit Gabinio in Syriam eunti. Pro Domo. Popma.

5. *Philologiæ*] Balliolens. codex scribit *philosophiæ*: quæ scriptura mihi rectior videtur & magis apposita. Frustrà enim philosophiæ dedisset operam, si nunc luctui se daret propter improbitatem aliquot civium. Philosophia docet res adversas & omnes eventus æquo animo ferre, non philologia. Grævius.

6. Εὐελπιστία] Bona spes.

7. Ἀδιαφορία] In neutram partem inclinatio.

8. Ἀφιλόδοξον] A gloriæ cupiditate alienum.

9. *Id afficitur*] Refertur ad illud, *Quod est subinane in nobis*, hoc sensu: Quæ ambitio in nobis est, ea nunc habet quo delectetur; siquidem Pompeii merita in patriam non jam, ut antea verebar, majora quàm nostra, videri possunt. Man.

annos DC majora viderentur, quàm noſtra: hac quidem curâ certè jam vacuum eſt. Jacet enim ille ſic, ut [10] πτῶσις Curiana ſtare videatur. Sed hæc coràm. Tu tamen vidêris mihi Romæ fore ad noſtrum adventum; quod ſanè facilè patiar, ſi tuo commodo fieri poſſit. Sin, ut ſcribis, ita venies; velim è [11] Theophane expiſcere, quónam in me animo ſit [12] Alabarches. Quæres ſcilicet, ut ſoles [13] κατὰ τὸ κηδεμονικὸν, & ad me ab eo quaſi [14] ὑποθήκας afferes, quemadmodum me geram. Aliquid ex ejus ſermone poterimus [15] περὶ τῶν ὅλων ſuſpicari.

10. Πτῶσις] Hoc eſt, *caſus*, *ruina*. Ita Boſius. Vocat, inquit, Cicero Curianam πλῶσιν, dedecus & ignominiam flagitioſiſſimi viri Q. Curii, qui, ut refert Salluſtius, ob probra & mala facinora motus fuerat Senatu. Alii *Phocis*, alii *Prætis* malunt; dubitant, Græcè an Latinè Cicero ſcripſerit: & campus eſt, in quo liberè vagantur. Quàm ſapiens Manutius, qui fatetur ſe diù cogitantem excogitare nihil potuiſſe, quod probaret. OLIVETUS.

11. *Theophane*] Qui Pompeii ſenſus, & conſilia noverat. Epiſt. 4. MANUTIUS.

12. *Alabarches*] Hoc nomine Pompeium notat, qui gloriabatur ſe mirum in modum auxiſſe vectigalia populi Romani. Ἄλαβα, inquit Heſychius, μέλαν ᾧ γράφομεν, id eſt, atramentum quo ſcribimus; unde & pro ſcriptura ipſa accipitur. BOSIUS.

13. Κατὰ τὸ κηδεμονικὸν] Accuratè.

14. Ὑποθήκας] Documenta.

15. Περὶ τῶν ὅλων] De ſumma rerum.

CICERO ATTICO SAL.

18 ACCEPI aliquot epiſtolas tuas, ex quibus intellexi, quàm ſuſpenſo animo & ſollicito ſcire averes, quid eſſèt novi. Tenemur undique: neque jam quo minùs ſerviamus, recuſamus; ſed mortem & ejectionem, quaſi majora, timemus: quæ multò ſunt minora. Atque hic ſtatus, qui unâ voce omnium gemitur, neque verbo cujuſquam ſublevatur. [1] Σκοπὸς eſt, ut ſuſpicor, illis, qui tenent, nullam cuiquam [2] largitionem relinquere. Unus loquitur, & palàm adverſatur adoleſcens [3] Curio. Huic plauſus maximi, conſalutatio forenſis perhonorifica, ſigna præterea benevolentiæ permulta à bonis impertiuntur: [4] Fufium clamoribus, & conviciis, & ſibilis conſectantur. His ex rebus non ſpes, ſed dolor eſt major; cùm videas civitatis volun-

1. Σκοπὸς] Huc ſpectarunt, hoc voluerunt. MANUTIUS.

2. *Largitionem*] De publico.

3. *Curio*] Quòd Reges oderit ſuperbos. Ep. 8. h. l. CORRADUS.

4. *Fufium*] Fufium Calenum acerrimum Cæſaris propugnatorem, Ciceronis inimicum: de quo alibi. POPMA.

voluntatem ſolutam, virtutem alligatam. Ac ne fortè quæras [5] κατὰ λεπτὸν de ſingulis rebus, univerſa res eò eſt deducta, ſpes ut nulla ſit, aliquando non modò privatos, verùm etiam magiſtratus liberos fore. Hac tamen in oppreſſione ſermo in circulis duntaxat, & conviviis eſt liberior, quàm fuit. Vincere incipit timorem dolor, ſed ita, ut omnia ſint pleniſſima deſperationis. Habet etiam [6] Campana lex execrationem in [7] concione candidatorum, ſi mentionem fecerint, quo aliter ager poſſideatur, atque ut ex legibus Juliis. Non dubitant jurare cæteri. [8] Laterenſis exiſtimatur [9] cautè feciſſe, quòd Tribunatum plebis petere deſtitit, ne juraret. Sed de Republica non libet plura ſcribere. Diſpliceo mihi, nec ſine ſummo ſcribo dolore. Me tueor, ut oppreſſis omnibus, non demiſsè; ut tantis rebus geſtis, parum fortiter. A Cæſare valde liberaliter invitor [10] in legationem illam, ſibi ut ſim legatus: atque etiam libera legatio voti causâ datur. Sed hæc & præſidii apud pudorem [11] Pulchelli non habet ſatis, & à fratris adventu me ablegat: illa & munitior eſt, & non impedit, quò minùs adſim, cùm velim. [12] Hanc ego teneo, ſed uſurum me non puto. Neque tamen ſcit quiſquam. Non lubet fugere: aveo pugnare. Magna ſunt hominum ſtudia. Sed nihil affirmo: tu hoc ſilebis. [13] De Statio manumiſſo, & nonnullis aliis rebus, angor quidem, ſed jam prorſus occallui. Tu vellem, egóve cuperem, adeſſes: nec mihi conſilium, nec conſolatio deeſſet. Sed ita te para, ut, ſi inclamaro, advoles.

Cice-

---

5. Κατὰ λεπτὸν] Minutatim.

6. *Campana lex*] Julia agraria de agro Campano dividendo; cujus caput quoddam erat, ut candidati ſe ipſi jurejurando exſecrarentur, ſi in magiſtratu, quem peterent, mentionem feciſſent de agro Campano aliter poſſidendo atque ut lex Julia præſcriberet. Ep. 16. Popma.

7. *Concione*] Præclarè ex Balliolenſi reſtituit Grævius: cùm antea legeretur *coitione*. Jurare enim debebant publicè. Coitiones autem erant privatæ, fiebántque in privatis locis.

8. *Laterenſis*] M. Juventius Laterenſis, de quo in Orat. pro Plancio, & in ep. Planci ad Ciceronem lib. X. Manutius.

9. *Cautè*] Tornæſianus, & Decurtatus, *lautè*: Cruſellinus, *cautè*; quam ſcripturam expreſſimus: quanquam alteram, *lautè*, non damnamus. Bosius.

10. *Legationem*] Utramque neglexit: alterutram ſi accepiſſet, vitare potuit exilii calamitatem. Manutius.

11. *Pulchelli*] Putidum jam eſt toties iterare, Pulchellum appellari P. Clodium, cui cognomen Pulcher. Idem.

12. *Hanc*] Provincialem. Idem.

13. *De Statio manumiſſo*] Ep. 2. lib. I. ad Q. fr. Corradus.

CICERO ATTICO SAL.

19 MULTA me sollicitant, & ex Reipublicæ tanto motu, & ex iis periculis, quæ mihi ipsi intenduntur: & sexcenta sunt. Sed mihi nihil est molestius, quàm Statium manumissum. [1] *Nec meum imperium? ac mitto imperium; non simultatem meam revereri saltem?* Nec, quid faciam, scio: neque tantum est in re, quantus est sermo. Ego autem ne irasci possum quidem iis, quos valde amo: tantùm doleo, ac mirificè quidem. Cætera in magnis rebus; minæ Clodii, contentionésque, quæ mihi proponuntur, modicè me tangunt. Etenim vel subire eas videor mihi summâ cum dignitate, vel declinare nullâ cum molestiâ posse. Dices fortasse, [2] dignitatis ἄλις, tanquam δρυὸς: saluti, si me amas, consule. Me miserum, cur non ades? nihil te profectò præteriret: ego fortasse [3] τυφλώττω, & nimium [4] τῷ καλῷ φερσπέπονθα. Scito nihil unquam fuisse tam infame, tam turpe, tam peræquè omnibus generibus, ordinibus, ætatibus offensum, quàm hunc statum, qui nunc est: magis mehercule quàm vellem, non modò quàm putaram. [5] Populares isti jam etiam modestos homines sibilare docuerunt. Bibulus in cælo est: nec quare, scio; sed ita laudatur, quasi [6] *Unus homo nobis cunctando restituit rem.* Pompeius, nostri amores, qui mihi summo dolori est, ipse se [7] afflixit; [8] neminem tenet: voluntate, an metu necesse sit [9] iis uti, vereor. Ego autem neque pugno

1. *Nec meum imperium*] Verba hæc sunt Terentii ex Phormione, cùm queritur Demipho filium se absente & nescio duxisse uxorem: *Itáne tandem uxorem duxit Antipho injussu meo? nec meum imperium, ac mitto imperium* &c. VICTORIUS. Illa verba non Statium spectant, sed ipsum fratrem cui toties Cicero mandaverat ne Statium manumitteret. GRÆVIUS.

2. *Dignitatis ἄλις, tanquam δρυὸς*] Dignitatis satis, tanquam quercûs: satis tibi dignitatis, Cicero, ut priscis satis quercûs, quando relictis glandibus ad victum triticeum se contulerunt. Proverb. *Satis quercûs.* CORRADUS.

3. Τυφλώττω] Cæcus sum.

4. Τῷ καλῷ] Honestati deditus sum.

5. *Populares isti*] Cæsar, Pompeius, Crassus: & cum ironia: quòd *populares* dici non possint, quos populus, etiam modesti homines, sibilis insectentur. MAN.

6. *Unus homo*] Ennii poetæ versus de Q. Fabio Maximo. IDEM.

7. *Afflixit*] Qui se cum socero suo Cæsare conjunxerit, & ab optimâ causâ ad perditam desciverit. IDEM.

8. *Neminem*] Quia bonos inimicos habet, improbos non amicos. Ep. 21. ID.

9. *Iis uti*] Vereor, ne Pompeius Cæsaris, & Crassi institutam amicitiam retineat, non tam voluntate, quàm quòd bonos metuit, quos offendit. IDEM.

pugno cum illa causâ propter illam amicitiam: neque approbo, ne omnia improbem, quæ antea gessi: [10] utor viâ. Populi sensus maximè theatro, & spectaculis perspectus est. Nam gladiatoribus qua [11] dominus, qua [12] advocati sibilis consciſſi: ludis Apollinaribus Diphilus tragœdus in noſtrum Pompeium petulanter invectus est. *Noſtrâ miseriâ tu es Magnus*, millies coactus est dicere. *Eandem virtutem istam, veniet tempus cùm graviter gemes*, totius theatri clamore dixit, itémque cætera. Nam & ejusmodi sunt ii versus, ut [13] in tempus ab inimico Pompeii scripti esse videantur. *Si neque leges, neque mores cogunt*, & cætera, magno cum fremitu & clamore sunt dicta. Cæsar cùm veniſſet, [14] mortuo plausu: Curio filius [15] est insecutus: huic ita plausum est, ut, salvâ Republicâ, Pompeio plaudi solebat. Tulit Cæsar graviter. Literæ [16] Capuam ad Pompeium volare dicebantur. [17] Inimici erant Equitibus, qui Curioni stantes plauserant; hostes omnibus. Roſciæ legi, etiam frumentariæ [18] minitabantur. Sanè res erat perturbata. Equidem malueram, quod erat susceptum [19] ab illis, silentio transire: sed vereor ne non liceat. Non ferunt homines, quod videtur esse [20] tamen ferendum: sed est jam una vox omnium, magis odio firmata, quàm præsidio. Noſter autem Publius mihi minitatur, inimicus est: impendet negotium, ad quod tu scilicet advolabis. Videor mihi noſtrum illum [21] Consularem exercitum bonorum omnium, etiam satis bonorum, habere firmiſſimum. Pompeius significat

10. *Utor viâ*] Neque in hanc partem, neque in illam declino. Quasi viâ utor. Transfertur ad rationem, & consilium: & illud Terentii in Andr. *Eam secum rem reputavit viâ*: Donatus, & Eugraphius explanant, *Viâ*, id est, *consilio*, *ratione*. Id.

11. *Dominus*] Is, qui gladiatores dabat. Idem.

12. *Advocati*] Qui cum eo ad spectandum venerant. Idem.

13. *In tempus*] Non ut multis antè annis, & à vetere poeta, sed ut scripti viderentur & ad hujus temporis turpitudinem propriè notandam, & ab inimico Pompeii. Idem.

14. *Mortuo plausu*] Plausu ita tenui, vix ut exaudiretur. Idem.

15. *Est insecutus*] Post Cæsarem in theatrum venit. Idem.

16. *Capuam*] Capuæ vigintivir agros dividebat lege Juliâ. Idem.

17. *Inimici*] Cæsar, & ejus amici. Id.

18. *Minitabantur*] Se abrogaturos non modò Roſciam legem, quæ XIV ordines in theatro equitibus dediſſet, sed etiam frumentariam, quæ ad universum populum pertinebat. Idem.

19. *Ab illis*] A Cæsare, & amicis.

20. *Tamen ferendum*] Non quia rectum sit, sed quia corrigendi spes non est. Id.

21. *Consularem exercitum*] Bonos omnes Consularem appellat exercitum, quos sibi in consulatu præstantiſſimis actionibus obstrinxerat. Idem.

ſtudium erga me non mediocre. Idem affirmat, verbum de me illum non eſſe facturum. In quo non me ille fallit, ſed ipſe fallitur. [22] Coſconio mortuo, ſum in ejus locum invitatus. Id erat vocari in locum mortui. Nihil me turpius apud homines fuiſſet: neque verò ad iſtam ipſam [23] ἀσφάλειαν quicquam alienius. Sunt enim illi apud bonos invidioſi: ego apud improbos meam retinuiſſem invidiam, alienam aſſumpſiſſem. Cæſar me ſibi vellet eſſe legatum. Honeſtior hæc declinatio periculi. Sed ego hoc nunc repudio. Quid ergo eſt? pugnare malo: nihil tamen certi. Iterum dico, utinam adeſſes! Sed tamen, ſi erit neceſſe, arceſſemus. Quid aliud? quid? hoc opinor. Certi ſumus periſſe omnia. Quid enim [24] ἀνακιζόμεθα tandiu? Sed hæc ſcripſi properans, & mehercule timidè. Poſthac ad te, aut, ſi perfidelem habebo, cui dem, ſcribam planè omnia: aut, ſi obſcurè ſcribam, tu tamen intelliges. In iis epiſtolis me Lælium, te [25] Furium faciam: cætera erunt [26] ἐν αἰνίγμοῖς. Hîc [27] Cæcilium colimus, & obſervamus diligenter. Edicta Bibuli audio ad te miſſa. Iis ardet dolore, & irâ noſter Pompeius.

22. *Coſconio*] Vigintiviro agris dividundis. Fortaſſe is, de quo *pro Sylla*. IDEM.
23. Ἀσφάλειαν] Securitatem.
24. Ἀνακιζόμεθα] Diſſimulamus?
25. *Furium*] L. Furium Philum.
26. Ἐν αἰνίγμοῖς] In ænigmatis.
27. *Cæcilium*] Avunculum tuum. Qui Atticum poſtea teſtamento adoptavit. MAN.

CICERO ATTICO SAL.

20 ANICATO, ut te velle intellexeram, nullo loco defui. Numeſtium ex literis tuis ſtudioſè ſcriptis libenter in amicitiam recepi. Cæcilium, quibus rebus poſſum, tueor diligenter. Varro ſatisfacit nobis. Pompeius amat nos, caróſque habet. Credis? inquies. Credo: prorſus mihi perſuadet. Sed quia, ut video, [1] pragmatici homines [2] omnibus hiſtoricis præceptis, verſibus denique cavere jubent, & vetant credere: alterum facio, ut caveam; alterum, ut non credam, facere non poſſum. Clo-

1. *Pragmatici*] Rebus gerendis exercitati, multo rerum uſu periti.
2. *Omnibus hiſtoricis præceptis*] Sic quidem omnes libri & editiones, quos vidi. In margine tamen Lambinianæ notatum eſt, *Omnibus hiſtoriis, præceptis*. Et ſic ſine dubio ſcripſit Cicero. Non auſus tamen ſum ſine libris mutare. GRÆVIUS.

Clodius adhuc mihi denuntiat periculum. Pompeius affirmat non esse periculum; adjurat; addit etiam, se priùs occisum iri ab eo, quàm me violatum iri. Tractatur res. Simul & quid erit certi, scribam ad te. Si erit pugnandum, arcessam ad societatem laboris: si quies dabitur, ab [3] Amalthea te non commovebo. De Republica breviter ad te scribam. Jam enim charta ipsa ne nos prodat, pertimesco. Itaque posthac, si erunt mihi plura ad te scribenda, [4] ἀλληγορίαις obscurabo. Nunc quidem novo quodam morbo civitas moritur; ut, cùm omnes ea quæ sunt acta improbent, querantur, doleant, varietas in re nulla sit, apertéque loquantur, & jam clarè gemant; tamen medicina nulla afferatur. Neque enim resisti sine internecione posse arbitramur: nec videmus qui finis cedendi præter exitium futurus sit. Bibulus hominum admiratione & benevolentiâ in cælo est: edicta ejus & conciones describunt & legunt. Novo quodam genere in summam gloriam venit. Populare nunc nihil tam est, quàm odium popularium. Hæc quò sint eruptura, timeo. Sed, si dispicere quid cœpero, scribam ad te apertiùs. Tu, si me amas tantum, quantum profectò amas; expeditus facito ut sis; si inclamaro, ut accurras. Sed do operam, & dabo, ne sit necesse. Quòd scripseram te Furium scripturum, nihil necesse est tuum nomen mutare. Me faciam Lælium, & te Atticum; neque utar meo chirographo, neque signo; si modò erunt ejusmodi literæ, quas in alienum incidere nolim. [5] Diodotus mortuus est: reliquit nobis [6] H-S fortasse centies. Comitia Bibulus cum [7] Archilochio edicto in ante diem xv Kal. Nov. distulit. A Vibio libros accepi. [8] Poeta ineptus: nec tamen scit nihil: & est non inutilis. Describo, & remitto.

3. *Amalthea*] Vide ad ep. 13. lib. I.
4. Ἀλληγορίαις] Allegoriis.
5. *Diodotus*] Stoicus. In Bruto, cap. 90.
6. *H-S centies*] *Centum* scribendum, ut rectè viderunt Manutius & Malaspina. Non est Philosophi in aliena domo degentis tantam vim argenti habere. Grævius.
7. *Archilochio*] Vide mox epist. 21.
8. *Poeta*] Alexander Ephesius, qui Cosmographiam versibus descripsit, teste Strabone. De quo vide G. Voss. III. de Hist. Græc. Hunc poetam ideò ad Ciceronem misit Atticus, quia tum situm orbis terrarum Tullius describere constituerat.

CICERO ATTICO SAL.

21 DE republica quid ego tibi subtiliter? tota periit: atque hoc est miserior, quàm reliquisti, quòd tum videbatur ejusmodi dominatio civitatem oppressisse, quæ jucunda esset multitudini; bonis autem ita molesta, ut tamen sine pernicie: nunc repentè tanto in odio est omnibus, ut, quorsum eruptura sit, horreamus. Nam iracundiam atque intemperantiam [1] illorum sumus experti, qui Catoni [2] irati omnia perdiderunt. Sed ita lenibus uti videbantur venenis, ut posse videremur sine dolore interire. Nunc verò sibilis vulgi, sermonibus honestorum, fremitu Italiæ, vereor ne exarserint. Equidem sperabam, ut sæpè etiam loqui tecum solebam, sic orbem Reipublicæ esse conversum, ut vix sonitum audire, vix impressam orbitam videre possemus: & fuisset ita, si homines transitum tempestatis expectare potuissent: sed cùm diù occultè suspirassent, postea jam gemere, ad extremum verò loqui omnes, & clamare cœperunt. Itaque ille [3] amicus noster, insolens infamiæ, semper in laude versatus, circumfluens gloriâ, deformatus corpore, fractus animo, quò se conferat nescit: [4] progressum præcipitem, inconstantem reditum videt: bonos, inimicos habet; improbos ipsos, non amicos. Ac vide mollitiem animi: non tenui lacrimas, cùm illum ante VIII Kal. Sext. vidi de edictis Bibuli concionantem, qui antea solitus esset jactare se magnificentissimè illo in loco, summo cum amore populi, cunctis faventibus. Ut ille tum humilis, ut demissus erat: ut ipse etiam sibi, non iis solùm, qui aderant, displicebat. O spectaculum [5] uni Crasso jucundum, cæteris non item. Nam, quia deciderat ex astris, lapsus, quàm progressus, potiùs videbatur: &, ut Apelles, si Venerem, aut si Protogenes Ialysum illum suum cœno oblitum vide-

1. *Illorum*] Cæsaris, & Pompeii. MAN.

2. *Irati*] Pompeius, quia Catonis sororem cùm uxorem peteret, repudiatus est; Cæsar, propter veteres inimicitias, & recentes injurias. IDEM.

3. *Amicus noster*] Pompeius. IDEM.

4. *Progressum præcipitem*] In conspirationem cum Cæsare & Crasso: in quam se temerè præcipitaverat; nec sine inconstantiæ nota ab ea poterat recedere. POPMA.

5. *Uni Crasso*] Qui, Pompeii vetus inimicus, paulò antè Cæsaris operâ reconciliatus, animum tamen gereret occultâ malevolentiâ suffusum. MANUTIUS.

videret, magnum, credo, acciperet dolorem: sic ego hunc omnibus à me pictum & politum artis coloribus, subitò deformatum, non sine magno dolore vidi. Quanquam nemo putabat propter [6] Clodianum negotium, me illi amicum esse debere. Tamen tantus fuit amor, ut exhauriri nullâ posset injuriâ. Itaque [7] Archilochia in illum edicta Bibuli populo ita sunt jucunda, ut eum locum, ubi proponuntur, præ multitudine eorum, qui legunt, transire nequeant; ipsi ita acerba, ut tabescat dolore; mihi mehercule molesta, quòd & eum, quem semper dilexi, nimis excruciant; & timeo, tam vehemens vir, támque acer in ferro, & tam insuetus contumeliæ, ne omni animi impetu dolori & iracundiæ pareat. Bibuli qui sit exitus futurus, nescio. Ut nunc res se habet, admirabili gloriâ est. Quin cùm comitia in mensem Octobr. distulisset; quòd solet ea res populi voluntatem offendere, putarat Cæsar oratione suâ posse impelli concionem, ut iret [8] ad Bibulum; multa cùm seditiosissimè diceret, vocem exprimere non potuit. Quid quæris? sentiunt, se nullam ullius partis voluntatem tenere: eo magis vis nobis est timenda. Clodius inimicus est nobis. Pompeius confirmat eum nihil esse facturum contra me. Mihi periculosum est credere: ad resistendum me paro. Studia spero me summa habiturum omnium ordinum. Te cùm ego desidero, tum verò res ad tempus illud vocat. Plurimum consilii, animi, præsidii denique mihi, si te ad tempus videro, accesserit. Varro mihi satisfacit. Pompeius loquitur divinitùs. Spero nos aut certè cum summa gloria, aut sine molestia etiam discessuros. Tu, quid agas, quemadmodum te oblectes, quid cum Sicyoniis egeris, ut sciam cura.

6. *Clodianum*] Cùm fuerit ille traductor Clodii ad Plebem. Corradus.

7. *Archilochia edicta*] Acerba, maledictorum & probrorum plena, qualia fuerunt scripta Archilochi poetæ, quem ut ait Horatius, *proprio rabies armavit Iambo.* Bibulus enim Consul foro pulsus à Cæsare collegâ, acerbissimis edictis eum & Pompeium proscidit, ut referunt Suetonius & Plutarchus. Popma.

8. *Ad Bibulum*] Ad ædes Bibuli cum clamore. Bibulus enim, post agrariam legem, domi inclusus consulatum peregit. Suetonius. Manutius.

CICERO ATTICO SAL.

22 QUAM vellem [1] Romæ! Manſiſſes profectò, ſi hæc fore putaſſemus. Nam Pulchellum noſtrum facillimè teneremus: aut certè, quid eſſet facturus, ſcire poſſemus. Nunc ſe res ſic habet: volitat, furit, nihil habet certi, multis denuntiat; quod fors obtulerit, id acturus videtur. Cùm videt, quo ſit in odio ſtatus hic rerum, in eos, qui hæc egerunt, impetum facturus videtur. Cùm autem rurſus opes & vim [2] exercitûs recordatur, convertit ſe in nos. Nobis autem ipſis cùm vim, tum [3] judicium minatur. Cum hoc Pompeius egit, &, ut ad me ipſe referebat, (alium enim habeo neminem teſtem) vehementer egit, cùm diceret, in ſumma ſe perfidiæ, & ſceleris infamia fore, ſi mihi periculum crearetur ab eo, quem ipſe armaſſet, cùm plebeium fieri paſſus eſſet: ſed fidem recepiſſe ſibi & ipſum, & [4] Appium de me: hanc ſi ille non ſervaret, ita laturum, ut omnes intelligerent, nihil ſibi antiquius amicitiâ noſtrâ fuiſſe. Hæc, & in eam ſententiam cùm multa dixiſſet, aiebat illum primò ſanè diù multa contrà: ad extremum autem manus dediſſe, & affirmaſſe nihil ſe contra ejus voluntatem eſſe facturum. Sed poſtea tamen ille non deſtitit de nobis aſperrimè loqui. Quod ſi non faceret, tamen ei nihil crederemus: atque omnia, ſicut facimus, pararemus. Nunc ita nos gerimus, ut in dies ſingulos & ſtudia in nos hominum, & opes noſtræ augeantur. Rempublicam nullâ ex parte attingimus. In cauſis, atque in illa opera noſtra forenſi, ſummâ induſtriâ verſamur. Quod egregiè non modò iis, qui utuntur operâ, ſed etiam in vulgus gratum eſſe ſentimus. Domus celebratur: occurritur: renovatur memoria Conſulatûs: ſtudia ſignificantur: in eam ſpem adducimur, ut nobis ea contentio, quæ impendet, interdum non fugienda videatur. Nunc mihi & conſiliis opus eſt tuis,

1. *Romæ*] Supple, *eſſes*. Lamb. & Grut. *Romæ manſiſſes: manſiſſes profectò* &c.

2. *Exercitûs*] Quem Cæſar habebit Galliarum proconſul. MANUTIUS.

3. *Judicium*] Populi: ut ad populum cauſam Cicero diceret de civibus Romanis & contra leges, & indictâ causâ ſummo ſupplicio affectis. IDEM.

4. *Appium*] P. Clodii fratrem, qui anno ſequenti prætor eſt deſignatus. IDEM.

tuis, & amore, & fide. Quare advola. Expedita mihi erunt omnia, si te habebo. Multa per [5] Varronem nostrum agi possunt, quæ te urgente erunt firmiora; multa ab ipso Publio elici, multa cognosci, quæ tibi occulta esse non poterunt: multa etiam... Sed absurdum est singula explicare: tum ego requiram te ad omnia. Unum *illud tibi* persuadeas velim, omnia mihi fore explicata, *si te videro*: sed totum est in eo, si ante quàm *ille ineat magistratum*. Puto, [6] Pompeium Crasso urgente, *si tu aderis, qui* per [7] βοώπιν ex ipso intelligere possis, qua *fide ab illis* agatur, nos aut sine molestia, aut certè sine errore futuros. Precibus nostris & cohortatione non indiges. Quid mea voluntas, quid tempus, quid rei magnitudo postulet, intelligis. De Republica nihil habeo ad te scribere, nisi summum odium omnium hominum in eos, qui tenent omnia: mutationis tamen spes nulla. Sed, quod facilè sentias, tædet ipsum Pompeium, vehementérque pœnitet. Non provideo satis, quem exitum futurum putem. Sed certè videntur hæc aliquò eruptura. Libros [8] Alexandri, negligentis hominis, & non boni poetæ, sed tamen non inutilis, tibi remisi. Numerium Numestium libenter accepi in amicitiam; & hominem gravem, & prudentem, & dignum tuâ commendatione cognovi.

5. *Varronem nostrum*] Qui gratiâ valet apud Pompeium. Fuerat enim ejus præfectus bello maritimo contra piratas. Man.

6. *Pompeium Crasso*] Quoniam futurum est, ut Crassus Pompeium urgeat contra me, intelliget, qua fide Pompeius mecum agat; & Clodiæ narrabit: illa tibi, si aderis. Ita fiet, ut, si intelligam Pompeium bonâ fide mecum agere, sine molestia sim, Clodii furorem non timeam; sin aliter, credulitatis errore non decipiar. Idem.

7. Βοώπιν] Clodii sororem, qua Crassus plurimùm uteretur. Idem.

8. *Alexandri*] Vide suprà, ep. 20.

Cicero Attico Sal.

Nunquam antè arbitror te epistolam meam legisse, nisi meâ manu scriptam. Ex eo colligere poteris, quantâ occupatione distinear. Nam cùm vacui temporis nihil haberem, & cùm, [1] recreandæ voculæ causâ, necesse esset mihi ambulare, hæc dictavi ambulans. Primùm igitur illud te scire volo, Sampsi- 23

1. *Recreandæ voculæ*] In opera forensi penè amissæ. Corradus. A Fabio ad vocem conservandam & augendam commendatur *ambulatio*, lib. XI. cap. 3. à Martiano Capella de Nuptiis Philol. lib. V. cap. de pronuntiatione &c. Grævius.

[2] Sampſiceramum noſtrum amicum vehementer ſui ſtatûs pœnitere, reſtituíque in eum locum cupere, ex quo decidit, dolorémque ſuum impertire nobis, & medicinam interdum apertè quærere; quam ego poſſum invenire nullam: deinde omnes illius partis auctores ac ſocios, nullo adverſario, conſeneſcere; conſenſionem univerſorum nec voluntatis, nec ſermonis majorem unquam fuiſſe. Nos autem (nam, id te ſcire cupere, certò ſcio) publicis conſiliis nullis interſumus, totóſque nos ad forenſem operam, laborémque contulimus. Ex quo, quod facilè intelligi poſſit, in multa commemoratione earum rerum, quas geſſimus, deſiderióque verſamur. Sed βοώπιδος noſtræ conſanguineus non mediocres terrores jacit, atque denuntiat, & Sampſiceramo negat; cæteris præ ſe fert, & oſtentat. Quamobrem, ſi me amas tantum, quantum profectò amas, ſi dormis, expergiſcere; ſi ſtas, ingredere; ſi ingrederis, curre; ſi curris, advola. Credibile non eſt, quantum ego in conſiliis, & prudentia tua, quódque maximum eſt, quantum in amore & fide ponam. Magnitudo rei longam orationem fortaſſe deſiderat, conjunctio verò noſtrorum animorum brevitate contenta eſt. Permagni noſtra intereſt, te, ſi comitiis non potueris, at [3] declarato illo, eſſe Romæ. Cura ut valeas.

1. *Sampſiceramum*] Pompeium. MAN.
2. *Declarato illo*] Poſtquàm Clodius deſignatus fuerit Tribunus plebis, & ante quàm ineat magiſtratum. Ep. 22. IDEM.

CICERO ATTICO SAL.

24 QUAS Numeſtio literas dedi, ſic te iis evocabam, ut nihil acrius, neque incitatius fieri poſſet. Ad illam [1] κέλευσιν adde etiam ſi quid potes. Ac ne ſis perturbatus: novi enim te; & non ignoro, quàm ſit amor omnis ſollicitus, atque anxius: ſed res eſt, ut ſpero, non tam exitu moleſta, quàm [2] aditu. Vettius ille [3] noſter index, [4] Cæſari, ut perſpicimus, pollicitus eſt,

1. Κέλευσιν] Adhortationem. Vide Turneb. Adverſ. XXX. 13.
2. *Aditu*] Lambinus, Gruterus, *auditu*. Quod minùs placet. OLIVETUS.
3. *Noſter index*] In conjuratione Catilinæ. Dion. lib. XXXVII. CORRADUS.
4. *Cæſari*] Conſuli, præmia promittenti. Suetonius, Appianus, in Vatinium. MAN.

est, se curaturum, ut in aliquam suspicionem facinoris Curio filius adduceretur. Itaque insinuatus in familiaritatem adolescentis, & cum eo, ut res indicat, sæpè congressus, rem in eum locum deduxit, ut diceret sibi certum esse cum suis servis in Pompeium impetum facere, eúmque occidere. Hoc Curio ad patrem detulit, ille ad Pompeium. Res delata ad Senatum est. Introductus Vettius, primò negabat se unquam cum Curione [5] restitisse; neque id sanè diù. Nam statim [6] fidem publicam postulavit. Haud reclamatum est. Tum exposuit, manum fuisse juventutis duce Curione, in qua [7] Paulus [8] initio fuisset, & [9] Q. Cæpio hic Brutus, & Lentulus, flaminis filius, conscio patre. Postea C. Septimium, scribam Bibuli, pugionem sibi à Bibulo attulisse: quod totum irrisum est; Vettio pugionem defuisse, nisi ei Consul dedisset; eóque magis id ejectum est, quòd a. d. III. Id. Maii Bibulus Pompeium fecerat certiorem, ut caveret insidias. In quo ei Pompeius gratias egerat. Introductus Curio filius dixit ad ea, quæ Vettius dixerat: maximéque in eo tum quidem Vettius est reprehensus, quòd dixerat adolescentium consilium, ut in foro cum gladiatoribus Gabinii Pompeium adorirentur: in eo principem Paulum fuisse; quem constabat eo tempore in Macedonia fuisse. Fit senatus-consultum ut Vettius, quòd confessus esset se [10] cum telo fuisse, in vincula conjiceretur: qui eum emisisset, contra Rempublicam esse facturum. Res erat in ea opinione, ut putarent [11] id esse actum, ut Vettius in foro cum pugione, & item servi ejus comprehenderentur cum telis: deinde ille se diceret indicaturum; idque ita actum esset, nisi Curiones rem antè ad Pompeium detulissent. Tum senatus-consultum in concione recitatum est. Postero autem die Cæsar, is, qui olim Prætor cùm

5. *Restitisse*] Colloquendi causâ. Sic Terentius in Andr. *Dave, ades: resiste.* Id.

6. *Fidem publicam*] Ut ipsi daretur impunitas, si alios indicasset. Idem.

7. *Paulus*] L. Æmilius Paulus, qui Macedoniam quæstor obtinebat. Postea consul fuit cum C. Marcello. Idem.

8. *Initio*] Cùm Romæ esset, nondum in Macedoniam profectus. Idem.

9. *Q. Cæpio*] M. Junius Brutus, ille interfector Cæsaris, adoptatus ab avunculo Servilio Cæpione, fuit appellatus *Q. Cæpio Brutus.* Phil. X. Popma.

10. *Cum telo*] Quod lex vetabat. Man.

11. *Id esse actum*] Ita rem esse compositam à Cæsare, & Vettio. Idem.

esset, [12] Q. Catulum ex inferiore loco [13] jusserat dicere, Vettium in Rostra [14] produxit; eúmque in eo loco constituit, quò Bibulo Consuli [15] aspirare non liceret. Hìc ille omnia quæ voluit, de Republica dixit, &, qui illuc [16] factus institutúsque veniſſet, primùm Cæpionem de oratione sua sustulit, quem in Senatu acerrimè nominarat; ut appareret, noctem, & [17] nocturnam deprecationem interceſſiſſe; deinde, quos in senatu ne tenuiſſimâ quidem suspicione attigerat, eos nominavit, [18] Lucullum, à quo solitum esse ad se mitti C. Fannium, illum, qui [19] in P. Clodium subscripserat; [20] L. Domitium, cujus domum constitutam fuisse, unde eruptio fieret: me non nominavit: sed dixit, Consularem disertum, [21] vicinum Consulis, sibi dixisse, [22] Ahalam Servilium aliquem, aut [23] Brutum opus esse reperiri. Addidit ad extremum, cùm, jam dimissâ concione, revocatus [24] à Vatinio fuisset, se audisse à Curione, his de rebus conscium esse Pisonem generum meum, & M. Laterensem. Nunc reus erat apud Crassum Divitem Vettius [25] de vi: &, cùm esset damnatus, erat [26] indicium postulaturus: quod si impetrasset,

12. *Q. Catulum*] Ep. 10. lib. I. ex petitione Pontificatûs odio incensum. *Sall.* in Catil. CORRADUS.

13. *Jusserat dicere*] Quando illum de refectione Capitolii ad disquisitionem populi vocavit, rogatione promulgatâ, qua curationem eam in Pompeium transferebat. Suet. in Cæs. & Dion. lib. 37. IDEM.

14. *Produxit*] Nam privato non licuisset de superiore loco dicere, & concionem habere, nisi à magistratu concederetur. Epist. 1. & 2. lib. IV. MANUTIUS.

15. *Aspirare non liceret*] Domi enim se tenebat armorum metu. Non dixit, *Accedere*, sed, *Aspirare*. Quod minus est. ID.

16. *Factus*] Hoc est, instructus quid diceret à Cæsare & Vatinio. Vide Cic. orat. in Vatin. GRÆVIUS.

17. *Nocturnam deprecationem*] Serviliæ, Bruti matris; quam Cæsar amavit. Hujus apud Cæsarem preces significat, ut filius ejus Cæpio Brutus de oratione Vettii tolleretur. MANUTIUS.

18. *Lucullum*] Cùm, Lucullus, dicitur, sine prænomine; de Lucio, non de Marco ejus fratre, κατ' ἐξοχὴν intelligendum. IDEM.

19. *In P. Clodium*] Cùm accusatus est crimine pollutarum religionum. Ep. 10. l. I. ID.

20. *L. Domitium*] Ahenobarbum, qui consul fuit cum Ap. Claudio. IDEM.

21. *Vicinum consulis*] Vicinus erat Cicero Cæsaris consulis, quòd ipse in Palatio, Cæsar autem in Sacra via habitabat, quæ secundùm radices Palatii à Carinis in Capitolium tendebat. IDEM.

22. *Ahalam Servilium*] Qui suâ manu Q. Mælium, regnum appetentem, occiderat. Livius. IDEM.

23. *Brutum*] Qui reges exegerat. IDEM.

24. *A Vatinio*] Qui cum Vettio, præsente populo Romano, collocutus, inculcavit, ut Pisonem, & Lateranensem, nominaret. *Cic. in Vatin.* IDEM.

25. *De vi*] Lege Plotiâ: quia confessus esset, se cum telo fuisse. IDEM.

26. *Indicium*] Hoc sensu: Si damnatus erit Vettius, ut absolvatur indicium postulabit, id est, ut alios ejusdem facinoris conscios indicare sibi liceat, à judicibus petet. MAN. *Indicium* non intelligendum de conjuratione illa ficta & commentitia. Nam jam

petrasset,[27] judicia fore videbantur. Ea nos, utpote[28] qui nihil contemnere solemus, non pertimescebamus. Hominum quidem summa erga nos studia significabantur: sed prorsus vitæ tædet, ita sunt omnia omnium miseriarum pleniſſima. Modò cædem[29] timueramus, quam oratio fortissimi senis Q. Considii discussérat: ea,[30] quam quotidie timere potueramus, subitò exorta est. Quid quæris? nihil me infortunatius, nihil fortunatius est[31] Catulo, cùm splendore vitæ, tum hoc tempore. Nos tamen his miseriis erecto animo, & minimè perturbato sumus: honestissiméque dignitatem nostram, & magnâ curâ tuemur. Pompeius de Clodio jubet nos esse sine cura, & summam in nos benevolentiam omni oratione significat. Te habere consiliorum auctorem, sollicitudinum socium, omni in cogitatione conjunctum cupio. Quare, ut Numestio mandavi, tecum ut ageret, item, atque eo si potest acriùs, te rogo, ut planè ad nos advoles. Respiraro, si te videro.

jam antè in Senatu & pro Rostris indicaverat illos, quos fingebat in Pompeii caput conspirasse. Ideo in Senatu *fidem publicam postulavit*, ut superiùs in hac epistola Cicero testatur. Sed reus de vi petiit, ut sibi liceat impunè detegere, quomodo re verâ se hoc haberet negotium; nimirum ut à Julio Cæsare fuerit subornatus, ad hæc crimina fingenda, & viros optimos falsæ conjurationis accusandi. Ideo desperans tam præcipitis consilii eventum, Cæsar intercepisse veneno Vettium creditur, ut Suetonius in Julio prodidit cap. 20. Græ-vius.

27. *Judicia fore videbantur*] Fore videbam, ut multi rei fierent, ex indicio Vettii. Manutius.

28. *Qui nihil contemnere*] Ideò non pertimescimus, quia cavemus omnia. Judicium autem impendebat Ciceroni & ex indicio Vettii, & mox à P. Clodio de necatis civibus Romanis. Idem.

29. *Timueramus*] Plutarchus hæc: Cùm senatores in curiam pauci convenirent, Considius Cæsari causam dixit esse, quia militum illius arma timerent. Cui Cæsar: Cur tu quoque ob eandem causam non domi te contines? *Quia*, Considius, *senectus me facit intrepidum*. Idem.

30. *Quam quotidie*] Hoc Vettii indicio patefactum est, cædem quotidie nobis fuisse timendam ab iis, qui rerum potiuntur. Quorum videmus quàm scelerata consilia sint, cùm perniciem bonis viris quacunque ratione machinentur. Non timebamus, cùm indicia non extarent, sed timere quotidie potueramus, ut nobis inscientibus impendentem. Idem.

31. *Catulo*] Cicero & Catulus fuerant socii in tuenda reipublicæ dignitate, quâ afflictâ & oppressâ se censet infortunatum quòd vivat, fortunatum Catulum qui in honore splendidè semper vixerit, & ante hoc calamitosum tempus è vita excesserit, mortuus anno proximo, Afranio & Metello Coss. Lib. I. ep. 17. Popma.

CICERO ATTICO SAL.

25 CUM aliquem apud te laudaro tuorum familiarium, volam illum scire ex te me id feciſſe; ut nuper me ſcis ſcripſiſſe ad te de Varronis erga me officio; te ad me reſcripſiſſe, eam rem ſummæ tibi voluptati eſſe. Sed ego mallem ad illum ſcripſiſſes, mihi illum ſatisfacere; [1] non quò faceret, ſed ut faceret. Mirabiliter enim [2] moratus eſt, ſicut noſti, [3] ἑλικτὰ κἠ ὐδέν. Sed nos tenemus præceptum illud, [4] τὰς τῶν κρατέντων. At hercule alter tuus familiaris [5] Hortalus, quàm plenâ manu, quàm ingenuè, quàm ornatè noſtras laudes in aſtra ſuſtulit, cùm de Flacci prætura, & de illo tempore Allobrogum diceret? Sic habeto, nec amantiùs, nec honorificentiùs, nec copioſiùs potuiſſe dici. Ei te hoc ſcribere à me tibi eſſe miſſum ſanè volo. Sed quid tu ſcribas? quem jam ego venire, atque adeſſe arbitror. Ita enim egi tecum ſuperioribus literis. Valde te expecto, valde deſidero; neque ego magis, quàm ipſa res & tempus poſcit. His de negotiis quid ſcribam ad te, niſi idem quod ſæpè? Republicâ nihil deſperatius: iis, [6] quorum operâ, nihil majore odio. Nos, ut opinio, & ſpes, & conjectura noſtra fert, firmiſſimâ benevolentiâ hominum muniti ſumus. Quare advola. Aut expedies nos omni moleſtiâ, aut eris particeps. Ideo ſum brevior, quòd, ut ſpero, coràm brevi tempore conferre quæ volumus licebit. Cura ut valeas.

1. *Non quò faceret*] Non quia prorſus præſtet, quod cupio. CORRADUS.

2. *Moratus eſt*] Placeret, *Inodoratus*: quia, cùm, Pompeio aut Cæſari credere, periculoſum videret, eorum animos noſſe, magni putabat ad ſuas rationes intereſſe, propter inſequentis anni impendentem à Clodio tempeſtatem. MANUTIUS. Vide Caſaub. in Athen. lib. I. cap. 4.

3. Ἑλικτὰ κἠ ὐδέν] Sequitur apud Euripidem, ὑμεῖς, ἀλλὰ πάντα πέπλῳ φρονοῦντες, *quorum mens eſt involucris circumtecta, quíque minimè ſincero & candido eſtis animo, ſed verſutè omnia cogitatis.*

4. Τὰς τῶν κρατέντων] *Potentium ſtultitias ferre oportet, vel peccata.* Eurip. in Phœn.

5. *Hortalus*] Q. Hortenſius, Orator, qui defendit L. Valerium Flaccum, pro quo extat Ciceronis oratio.

6. *Quorum operâ*] Deſperata eſt.

EPISTO-

EPISTOLARUM AD ATTICUM

LIBER III.

CICERO ATTICO SAL.



UM antea maximè noſtra intereſſe arbitrabar te eſſe nobiſcum; tum verò, ut legi [1] rogationem, intellexi ad iter id, quod conſtitui, nihil mihi optatius cadere poſſe, quàm ut tu me quamprimùm conſequare; ut, cùm ex Italia profecti eſſemus, ſive per Epirum iter eſſet faciendum, tuo tuorúmque præſidio uteremur; ſive aliud quid agendum eſſet, certum conſilium de tua ſententia capere poſſemus. Quamobrem te oro des operam, ut me ſtatim conſequare. [2] Faciliùs potes, quoniam de provincia [3] Macedonia perlata [4] lex eſt. Pluribus verbis tecum agerem, niſi pro me apud te res ipſa loqueretur. I

1. *Rogationem*] Clodiam; ut mihi intra 400. millia ne liceat eſſe. MANUTIUS.

2. *Faciliùs*] Lege, *quod eo faciliùs potes*. BOSIUS *Baluzianus*.

3. *Macedonia*] In qua tu habes negotia, & idcirco Romæ remanſiſti, ut cùm intellexiſſes, cui decreta eſſet, ei res tuas commendares. Ep. 10. lib. I. CORRADUS.

4. *Lex*] Qua L. Piſoni Macedonia eſt data. *Orat. pro Dom.* IDEM.

CICERO ATTICO SAL.

2 ITINERIS noſtri cauſa fuit, quòd non habebam locum, ubi pro meo jure diutiùs eſſe poſſem, quàm [1] in fundum Sicæ; præſertim [2] nondum rogatione correctâ: & ſimul intelligebam te ex eo loco, ſi te haberem, poſſe me [3] Brunduſium referre; ſine te autem non eſſe nobis illas partes tenendas propter [4] Autronium. Nunc, ut ad te antea ſcripſi, ſi ad nos veneris, conſilium totius rei capiemus. Iter eſſe moleſtum ſcio; ſed [5] tota calamitas omnes moleſtias habet. Plura ſcribere non poſſum, ita ſum animo perculſo & abjecto. Cura ut valeas. Dat. VI. Id. Apr. [6] in oris Luc.

1. *In fundum Sicæ*] Fundus hic Sicæ erat propè Vibonem, quò Cicero ibat eo conſilio, ut inde in Siciliam aut Meliten pergeret, ibíque maneret, ſi ſibi per legem Clodiam liceret. Sin minùs, decreverat Brunduſium ſe referre; & inde navi Græciam petere: cui navigationi non audebat ſe committere propter inimicum ſuum Autronium, qui in Græcia exulabat. Ideo ſcribit ſibi tenendas non eſſe partes illas ſine Attico. BOSIUS. *In fundum*, pro *in fundo*. De hoc loquendi genere multa Fr. Sanctius in Minerva.

2. *Nondum rogatione*] Clodius rogationem promulgaverat & perſcripſerat generatim ſine ulla loci exceptione, Ut M. Ciceroni aquâ & igni interdicatur: ſed eam priuſquam ferret, correxit, addito hoc capite, Ut ei niſi ultra quadraginta millia ab Italia non liceret eſſe. Itaque nondum rogatione correctâ Cicero non habebat locum ubi tutò eſſe poſſet, ſed apud amicos in agris latitabat. POPMA.

3. *Brunduſium referre*] Id eſt, Brunduſium regredi, quia Vibonem profectus Brunduſium ponè reliquerat, quò ipſi remeandum erat, ut inde Græciam, aut in Aſiam ſe conferret. BOSIUS.

4. *Autronium*] P. Autronium, unum ex conjuratis, qui in illis partibus de vi damnatus exulabat, Ciceroni *infenſum*, vindici conjurationis. *Pro Sylla.* MANUT.

5. *Tota calamitas*] In qua inſunt, præter mea damna, eæ moleſtiæ, quas ex moleſtiis meorum capio. Ut nunc, cùm te video meâ causâ tam moleſtum iter ſuſcipere. IDEM.

6. *In oris Luc.*] Id eſt, Lucaniæ. BOSIUS. Antiqui libri *Naris*; unde legerim *in agris*. Nam Cicero per Lucaniam pedibus iter fecit, ut Plutarchus ſcribit, & apud amicos in agris & villis fuit. *In oris* poeticum eſt, & ferè de littoralibus & maritimis locis dicitur. POPMA.

CICERO ATTICO SAL.

3 UTINAM illum diem videam, cùm tibi agam gratias, quòd me vivere coegiſti. Adhuc quidem valdè me pœnitet. Sed te oro, ut ad me [1] Vibonem ſtatim venias, quò ego multis

1. *Vibonem*] Oppidum Bruttiorum perantiquum, quod etiam *Vibo*, *Vibo Valentia*, & *Valentia* ſimpliciter dicebatur, olim Græcis *Hippo*, & *Hipponium*. Fuit poſtea eò ducta colonia Romanorum. Vide Cluv. Ital. antiq. lib. IV. c. 15. GRÆV.

tis de cauſis converti iter meum. Sed eò ſi veneris, de toto itinere ac fuga mea conſilium capere potero. Si id non feceris, mirabor. Sed confido te eſſe facturum.

Cicero Attico Sal.

Miseriæ *noſtræ potiùs velim*, quàm inconſtantiæ tribuas, — *quòd à Vibone, quò te arceſſebamus*, ſubitò diſceſſi- 4 *mus. Allata eſt enim nobis* rogatio de pernicie mea; in qua, *quod correctum eſſe audieramus*, erat ejuſmodi, ut mihi ultra quadringenta millia liceret eſſe. [1] Illò cùm pervenire non liceret, ſtatim iter Brunduſium versùs contuli [2] ante diem rogationis; ne & Sica, apud quem eram, [3] periret; & quòd Melite eſſe non licebat. Nunc tu propera ut nos conſequare, [4] ſi modò recipiemur. Adhuc invitamur benignè. Sed, quod ſupereſt, timemus. Me, mi Pomponi, valdè pœnitet vivere. Qua in re apud me tu plurimùm valuiſti. Sed hæc coràm. Fac modò, ut venias.

1. *Illò*] Ultra quadringenta millia paſſuum. *Nam ſi* Cicero partes illas quò primùm iter inſtituerat, tenuiſſet; hoc eſt, ſi in Siciliam, aut Meliten navigaſſet; (eò enim tendebat iter illud Vibonem versùs ſuſceptum) certè perveniſſet ultra quadringenta millia paſſuum. *Sicilia enim, & Melite* propiùs abſunt ab Italia quadringentis millibus paſſuum. Bosius.

2. *Ante diem*] Mihi ad diſcedendum in rogatione conſtitutam. Corradus.

3. *Periret*] Ne pœnam ſubiret, quam Clodius irrogabat ei, qui Ciceronem intra quadringenta millia tecto recepiſſet. *Pro Domo ſua.* Manutius.

4. *Si modò recipiemur*] Cùm pœna ſit, qui receperit, & niſi recipiemur, conſequi nos properantes non poteris. Corrad.

Cicero Attico Sal.

Terentia tibi & ſæpè, & maximas agit gratias. Id eſt — mihi gratiſſimum. Ego vivo miſerrimus, & maximo do- 5 lore conficior. Ad te quid ſcribam, neſcio. Si enim es Romæ, jam me aſſequi non potes: ſin es in via, cùm eris me aſſecutus, coràm agemus, quæ erunt agenda. Tantùm te oro, ut, *quoniam me ipſum ſemper amaſti*, eodem amore ſis. Ego enim idem ſum. Inimici mei mea mihi, non me ipſum ademerunt. Cura ut valeas. Dat. VIII. Id. Apr. [1] Thurii.

Cice-

1. *Thurii*] Iſta urbs Bruttiorum, ſeu Calabriæ, dicta *Thurium*, & *Thuriæ* olim *Sybaris*, quo nomine propter ſummas incolarum voluptates innotuit.

Cicero Attico Sal.

6 Non fuerat mihi dubium, quin te Tarenti, aut Brundusii visurus essem: idque ad multa pertinuit; in eis, & ut in Epiro consisteremus, & de reliquis rebus tuo consilio uteremur. Quoniam id non contigit, erit hoc quoque in magno numero nostrorum malorum. Nobis iter est in Asiam, maximè Cyzicum. Meos tibi commendo. Me vix misèréque sustento. D. xiv. Kal. Mai. Tarent.

Cicero Attico Sal.

7 Brundusium veni a. d. xiv. Kal. Maias. Eo die pueri tui mihi à te literas reddiderunt: & alii pueri post diem tertium ejus diei alias literas attulerunt. Quod me rogas & hortaris, ut apud te in Epiro sim, voluntas tua mihi valdè grata est, & minimè nova: sed & consilium mihi quidem optatum, si liceret ibi omne tempus consumere. Odi enim celebritatem; fugio homines; lucem aspicere vix possum. Esset mihi ista solitudo, præsertim tam familiari in loco, non amara. Sed itineris causâ ut, devorterem, primùm est devium; deinde ab Autronio, & cæteris quatridui; deinde sine te. Nam [1] castellum munitum habitanti mihi prodesset; transeunti non est necessarium. Quòd si auderem, Athenas peterem: sanè ita cadebat ut vellem. Nunc & nostri hostes ibi sunt; & te non habemus; & veremur, ne interpretentur, illud quoque oppidum ab Italia non satis abesse: nec scribis, quam ad diem te expectemus. Quòd me ad vitam vocas, unum efficis, ut à me manus abstineam; alterum non potes, ut me non nostri consilii vitæque pœniteat. Quid enim est quod me retineat, præsertim si spes

1. *Castellum*] Si mihi liceret in Epiro tecum habitare, prodesset castellum tuum munitum, ut ibi tutò consisterem; essétque invitatio tua ita opportuna ut nihil vellem magis; sed & Catilinarii exules in Achaia & propinquis partibus Epiri tantùm quatridui itinere absunt, & Clodiani interpretabuntur Buthrotum oppidum, sub quo villa & castellum tuum est, ab Italia non distare quadringenta millia, intra quæ mihi non licet esse. De Attici villa prope Buthrotum lib. VI. & alibi. Popma.

[2] ſpes ea non eſt, quæ nos proficiſcentes proſequebatur? Non faciam, ut enumerem miſerias omnes, in quas incidi per ſummam injuriam, & ſcelus non tam inimicorum meorum, quàm invidorum, ne & meum mœrorem exagitem, & te in eundem luctum vocem. Hoc affirmo, neminem unquam tantâ calamitate eſſe affectum; nemini mortem magis optandam fuiſſe: cujus oppetendæ tempus honeſtiſſimum prætermiſſum eſt. Reliqua tempora non ſunt jam ad medicinam, ſed ad finem doloris. De Republica, video te colligere omnia, quæ putes aliquam ſpem mihi poſſe afferre mutandarum rerum: quæ quanquam exigua ſunt; tamen, quoniam placet, expectemus. Tu nihilo minùs, ſi properaris, nos conſequêre: nam aut accedemus in Epirum; aut tardè per [3] Candaviam ibimus. Dubitationem autem de Epiro non inconſtantia noſtra afferebat, ſed quòd de fratre, ubi eum viſuri eſſemus, neſciebamus. Quem quidem ego nec [4] quo modo viſurus, nec [5] ubi dimiſſurus ſim, ſcio. [6] Id eſt maximum & miſerrimum mearum omnium miſeriarum. Ego & ſæpius ad te, & plura ſcriberem, niſi mihi dolor meus cùm omnes partes mentis, tum maximè hujus generis facultatem ademiſſet. Videre te cupio. Cura ut valeas. Dat. prid. Kal. Mai. Brunduſii.

---

2. *Spes*] Fore ut brevi revocaremur. Corradus. Vide I. 4. ad Q. Fr.

3. *Candaviam*] Montem Illyrici, qui Macedoniam, Illyricúmque diſterminat. Strabo, Plinius. Manutius.

4. *Quo modo viſurus*] Afflictum dolore miſeriarum mearum. Idem.

5. *Ubi*] Dolor enim, & luctus alterum ab altero divelli vix patietur. Idem. Scribendum, *nec ut dimiſſurus ſim*. Bosius *Baluzianus*.

6. *Id*] Congreſſus & dimiſſio. Manut.

Cicero Attico Sal.

Brundusio proficiſcens ſcripſeram ad te, quas ob cauſas in Epirum non eſſemus profecti; quòd & Achaia propè eſſet plena audaciſſimorum inimicorum, & exitus difficiles haberet, cùm inde proficiſceremur. Acceſſit, cùm Dyrrachii eſſemus, ut duo nuntii afferrentur; unus claſſe fratrem Epheſo Athenas; alter pedibus per Macedoniam venire. Itaque illi obviam miſimus Athenas, ut inde Theſſalonicam veniret. Ipſi 8

[1] proceſſimus, & Theſſalonicam a. d. x Kal. Jun. venimus; neque de illius itinere quicquam certi habebamus, niſi eum ab Epheſo antè aliquanto profectum. Nunc [2] iſtic quid agatur magno opere timeo. Quanquam tu alterâ epiſtolâ ſcribis Idibus Maiis audiri, fore ut [3] acriùs poſtularetur; alterâ, jam eſſe mitiora. Sed hæc eſt pridie data, quàm illa; quo conturbor magis. Itaque, cùm meus me mœror quotidianus lacerat & conficit, tum verò hæc addita cura vix mihi vitam reliquam facit. Sed & navigatio perdifficilis fuit: & ille incertus ubi ego eſſem, fortaſſe alium curſum petivit. Nam Phaeto libertus eum non vidit; [4] vento rejectus ab illo in Macedoniam, [5] Pellæ mihi præſtò fuit. [6] Reliqua quàm mihi timenda ſint video, nec quid ſcribam habeo, & omnia timeo: nec tam miſerum eſt quicquam, quod non in noſtram fortunam cadere videatur. Equidem adhuc miſer in maximis meis ærumnis & luctibus hoc metu adjecto maneo Theſſalonicæ ſuſpenſus: nec audeo quicquam. Nunc ad ea quæ ſcripſiſti. [7] Tryphonem Cæcilium non vidi. Sermonem tuum & Pompeii cognovi ex tuis literis. Motum in Republica non tantum ego impendêre video, quantum tu aut vides, aut ad me conſolandum affers. [8] Tigrane enim neglecto, ſublata ſunt omnia. Varroni me jubes agere gratias; faciam:

---

1. *Proceſſimus*] Dyrrachio, à quo Theſſalonica abeſt CXIV. M. paſſ. CORR.

2. *Iſtic quid agatur*] Timebat, ne quis accuſaret repetundarum Quintum Fratrem, ex provincia redeuntem. Vide infrà, epiſt. 9. & 17. MANUTIUS.

3. *Acriùs poſtularetur*] Eſt, ut accuſaretur acerrimè & vehementiſſimè. Hanc enim vim ſæpè habent, quos Grammatici vocant comparativos. Res eſt trita. GRÆV.

4. *Vento rejectus ab illo*] Ne illum adire, ac videre potuerit: ſententia planè bona: in libro tamen Faerni, *ab Ilio* ſcriptum eſt: negligentiáne librariorum in ductu literarum, an quia ita eſſet in exemplari, unde illi deſcripſerunt, quis poſſit dicere? Illud affirmare poſſumus, ſi *ab Ilio* rectum ſit, à loci hujus ſententia non abhorrere. Fuit enim oppidum & ipſum in eadem ora Aſiæ, qua & Epheſus: Phaetonta quidem conſtat, cum Quinto non fuiſſe: ſed conveniendi ejus cauſâ, Epheſum, aut Ilium navigare conantem, inde rejectum in Macedoniam tempeſtate fuiſſe. MALASP.

5. *Pellæ*] Fuit Pella præcipua Macedoniæ urbs. Mela II. 3.: *Macedonum populi centum quinquaginta urbes habitant, quarum Pella & maxima, & illuſtris. Alumni efficiunt, Philippus Græciæ domitor, Alexander etiam Aſiæ.* GRÆVIUS.

6. *Reliqua*] Quæ fratri meo ab inimicis noſtris videntur impendêre. MANUTIUS.

7. *Tryphonem Cæcilium*] Fortaſſe libertum, procuratorem Cæcilii. CORRADUS.

8. *Tigrane neglecto*] Cùm Pompeius Tigranem ſibi à Clodio ereptum neglexerit, ſublata ſpes omnis eſt mutandarum rerum. Ego autem graves inter eos contentiones fore ſperaveram. Videatur Pædianus in Milonianæ caput 14. MANUTIUS.

faciam: item [9] Hypſæo. Quòd ſuades ne longiùs diſcedamus, dum acta menſis Maii ad nos perferantur, puto me ita eſſe facturum; ſed ubi, nondum ſtatui. Atque ita perturbato ſum animo de Quinto, ut nihil queam ſtatuere: ſed tamen ſtatim te faciam certiorem. Ex epiſtolarum mearum inconſtantia puto te mentis meæ motum videre; qui, etſi incredibili & ſingulari calamitate afflictus ſum, tamen non tam eſt ex miſeria, quàm ex culpæ noſtræ recordatione commotus. Cujus enim ſcelere impulſi ac proditi ſimus, jam profectò vides: atque utinam jam antè vidiſſes, neque totum animum tuum mœrori mecum ſimul dediſſes. Quare, cùm me afflictum, & confectum luctu audies, exiſtimato me ſtultitiæ meæ pœnam ferre graviùs, quàm eventi; quòd [10] ei crediderim, quem eſſe nefarium non putarim. Me & meorum malorum memoria, & metus [11] de fratre in ſcribendo impedit. Tu iſta omnia vide, & guberna. Terentia tibi maximas gratias agit. Literarum exemplum, quas ad Pompeium ſcripſi, miſi tibi. Dat. IV. Kal. Jun. Theſſalonicæ.

9. *Hypſæo*] Hic Pompeii quæſtor fuerat; eúmque, ut & Varro, hortabatur, ut Ciceronis patrocinium ſuſciperet. Cognomen eſt Plautiæ familiæ. Man.

10. *Ei*] Pompeio.

11. *De fratre*] De poſtulatione. Idem.

Cicero Attico Sal.

Quintus frater cùm ex Aſia diſceſſiſſet ante Kal. Mai. & Athenas veniſſet Idib. valdè fuit ei properandum, [1] ne quid abſens acciperet calamitatis, ſi quis fortè fuiſſet, qui contentus noſtris malis non eſſet. Itaque eum malui properare Romam, quàm ad me venire: & ſimul (dicam enim, quod verum eſt; ex quo magnitudinem miſeriarum mearum perſpicere poſſis) animum inducere non potui, ut aut illum, amantiſſimum mei, molliſſimo animo, tanto in mœrore aſpicerem; aut meas miſerias luctu afflictas, & perditam fortunam illi offerrem, aut ab illo aſpici paterer. Atque etiam illud timebam, quod profectò accidiſſet, ne à me digredi non poſſet. Verſabatur mi- 9

 hi

1. *Ne quid abſens*] Ne abſens poſtularetur. Ep. 8. Manutius.

hi tempus illud ante oculos, cùm ille aut [2] lictores dimitteret, aut vi avelleretur ex complexu meo. Hujus acerbitatis eventum alterâ acerbitate non videndi fratris vitavi. In hunc me casum vos vivendi auctores impulistis. Itaque mei peccati luo pœnas. Quanquam me tuæ literæ sustentant: ex quibus, quantum tu ipse speres, facilè perspicio. Quæ quidem tamen aliquid habebant solatii antè, quàm eò venisti, [3] *A Pompeio nunc Hortensium allice, & ejusmodi viros.* Obsecro, mi Pomponi, [4] nondum perspicis, quorum operâ, quorum insidiis, quorum scelere perierimus? Sed tecum hæc coràm agemus. Tantùm dico, quod scire te puto, nos non inimici, sed invidi perdiderunt. Nunc, si ita sunt quæ speras, sustinebimus nos, & spe, qua jubes, nitemur. Sin, ut mihi videntur, infirma sunt; quod optimo tempore facere non licuit, minùs idoneo fiet. Terentia tibi sæpè agit gratias. Mihi etiam unum de malis in metu est, fratris miseri [5] negotium; quod si sciam cujusmodi sit, sciam quid agendum mihi sit. Me etiam nunc illorum beneficiorum, & literarum expectatio, [6] ut tibi placet, Thessalonicæ tenet. Si quid erit novi allatum, sciam de reliquo quid agendum sit. Tu si, ut scribis, Kal. Jun. Româ profectus es, propediem nos videbis. Literas, quas ad Pompeium scripsi, tibi misi. Dat. Id. Jun. Thessalonicæ.

2. *Lictores dimitteret*] Qui dimittendi fuissent, si mecum manere voluisset. Nam imperatori transitus per alienam provinciam dabatur, morari diutiùs in ea cum imperio non licebat. IDEM.

3. *A Pompeio nunc Hortensium allice, & ejusmodi viros*] Hoc totum est ex Attici epistola. IDEM. Vir doctus emendabat, *ad Pompeium mitte, Hortensium allice.* URSIN.

4. *Nondum perspicis*] Vis me in Pompeio, & Hortensio spem ponere: non intelligis me horum insidiis, & scelere periisse? MANUTIUS.

5. *Negotium*] Metus accusationis. IDEM.

6. *Ut tibi placet*] Scripsisti enim, ut expectem literas tuas Thessalonicæ: si quod fortè ex actis mensis Maii beneficium asseratur. Ep. 8. & 10. IDEM.

CICERO ATTICO SAL.

10 ACTA quæ essent usque ad VIII. Kal. Jun. cognovi ex tuis literis. Reliqua expectabam, ut tibi placebat, Thessalonicæ: quibus allatis faciliùs statuere potero ubi sim. Nam si erit causa, si quid agetur, si spem videro, aut ibidem opperiar, aut

aut me [1] ad te conferam: sin, ut tu scribis, ista evanuerint, aliquid aliud videbimus. Omnino adhuc nihil mihi significatis nisi discordiam illorum; quæ tamen inter eos de omnibus potiùs rebus est, quàm de me. Itaque, quid ea mihi prosit, nescio. Sed tamen, quoad me vos sperare vultis, vobis obtemperabo. Nam quòd me tam sæpè, & tam vehementer objurgas, & animo infirmo esse dicis, *quæso ecquod tantum malum est, quod in mea calamitate non sit? ecquis unquam ex tam amplo statu, tam in bona causâ, tantis facultatibus ingenii, consilii, gratiæ, tantis præsidiis bonorum omnium concidit? Possum oblivisci qui fuerim? non sentire qui sim? quo caream honore? quâ gloriâ? quibus liberis? quibus fortunis? quo fratre? quem ego* (ut novum calamitatis genus attendas) cùm pluris facerem quàm me ipsum, sempérque feciſſem, vitavi ne viderem; ne aut illius luctum squalorémque aspicerem, aut me, quem ille florentissimum reliquerat, perditum illi afflictúmque offerrem. Mitto cætera intolerabilia; etenim fletu impedior. Hîc utrùm tandem sum accusandus, quòd doleo; an quòd commisi, ut hæc aut non retinerem, (quod facile fuisset, nisi [2] intra parietes meos de mea pernicie consilia inirentur) aut certè [3] vivus nunc amitterem? Hæc eo scripsi ut potiùs relevares me, quod facis, quàm aut castigatione, aut objurgatione dignum putares: eóque ad te minùs multa scribo, quòd & mœrore impedior, & quid expectem *istinc magis habeo*, quàm quid ipse scribam. Quæ si erunt allata, faciam te consilii nostri certiorem. Tu, ut adhuc fecisti, quàm plurimis de rebus ad me velim scribas, ut prorsus ne quid ignorem. Dat. XIV Kal. Quint. Thessalonicæ.

1. *Ad te*] In tuas Epiroticas possessiones. Manutius.

2. *Intra parietes meos*] Ab iis, qui me quotidianâ assiduitate insidiosissimè tractarunt: ut Hortensius, ut Arrius. Vide ad Q. fratrem lib. I. Idem.

3. *Vivus*] Peccavi, inquit, aut quòd dignitatem & fortunas meas vi armisque non defendi, aut quòd vivus amisi, & non cum vita simul perdidi. Popma.

Cicero Attico Sal.

ME & tuæ literæ, & quidam boni nuntii, non optimis tamen auctoribus, & expectatio vestrarum literarum, & quòd tibi ita placuerat, adhuc Thessalonicæ tenebant. Si accepero

pero literas, quas expecto, si spes erit ea quæ rumoribus afferebatur, [1] ad te me conferam; si non erit, faciam te certiorem, quid egerim. Tu me, ut facis, operâ, consilio, gratiâ juva: consolari jam desine: objurgare verò noli: quod cùm facis, [2] ut ego tuum amorem, & dolorem desidero! quem ita affectum meâ ærumnâ esse arbitror, ut te ipsum consolari nemo possit. Quintum fratrem optimum, humanissimúmque sustenta. Ad me, obsecro te, ut omnia certa perscribas. Dat. IV. Kal. Quint.

1. *Ad te*] In Epirum tuam. MANUTIUS.

2. *Ut ego*] *Ut*, pro *Quàm*, dixit, sicuti suprà de Pompeio, *Ut ille tum humilis, ut demissus erat.* Est autem hîc eò venustior sententia, quò minùs aperta. Cùm me, inquit, objurgas, quia meo casu nimis excrucier; facis, ut neque me videaris amare, neque dolere dolorem meum: quem tamen ita affectum meâ ærumnâ esse arbitror, ut ipsum consolari nemo possit. In hoc, inquam, tuum amorem, & dolorem non agnosco. Qui enim amat, æquè dolet; &, qui æquè dolet, non objurgat. IDEM.

CICERO ATTICO SAL.

12 TU quidem sedulò argumentaris, quid sit sperandum, & maximè [1] per Senatum: [2] idémque caput rogationis proponi scribis, quare in Senatu dici nihil liceat: itaque siletur. Hîc tu me accusas, quòd me afflictem; cùm ita sim afflictus, ut nemo unquam; quod tute intelligis. Spem ostendis secundùm comitia. Quæ ista est [3] eodem Tribuno plebis, & inimico [4] Consule designato? Percussisti autem me etiam de [5] oratione prolata. Cui vulneri, ut scribis, medere, si quid potes. Scripsi equi-

1. *Per senatum*] Nam per populum minùs sperandum videbatur, Clodio tribuno. MANUTIUS.

2. *Idémque*] Qui me sperare vis per senatum, idem scribis caput proponi rogationis Clodianæ. Quo capite cautum erat, ne quis referret ad senatum de Cicerone restituendo. IDEM.

3. *Eodem Tribuno plebis*] Augurabatur Cicero Clodium biennium fore Tribunum plebis, cùm sciret eum adepturum esse à populo Romano alios honores in annum sequentem. Scribit enim Appianus (lib. I. de Bello Civ.) lege quadam sancitum fuisse, ut nisi Tribuni plebis, qui Tribunatu abirent, statim ad alios honores vocari possent, eorum in primis ratio haberetur proximis comitiis Tribun. BOSIUS.

4. *Cos. designato*] Q. Metello Nepote, cum quo Tribuno plebis acerrimas contentiones habuit, quas refert ep. 2. lib. V. ad Metellum. Augurabatur autem futurum ut Metellus Consul designaretur; quod ita accidit. Fuit enim Cos. cum P. Lentulo; cui referenti de Cicerone restituendo, autorem se adscriptorémque præbuit, depositâ inimici personâ. Vide Orat. post reditum in Senatu. Ep. 4. lib. V. ad Fam. POPMA.

5. *Oratione prolata*] Non puto significari

equidem olim iratus, quòd ille prior ſcripſerat; ſed ita compreſſeram, ut nunquam emanaturam putarem. Quo modo exciderit, neſcio. Sed quia nunquam accidit, ut cum eo verbo uno concertarem; & quia ſcripta mihi videtur negligentiùs, quàm cæteræ; puto poſſe probari non eſſe meam. Id, ſi putas me poſſe [6] ſanari, cures velim: ſin planè perii, minùs laboro. Ego etiam nunc eodem in loco jaceo, ſine ſermone ullo, ſine cogitatione ulla. Licet tibi, ut ſcribis, ſignificarim, ut ad me venires [7] Dodona; tamen intelligo te re [8] iſtic prodeſſe, hîc ne verbo quidem levare me poſſe. Non queo plura ſcribere, nec eſt, quod ſcribam; veſtra magis expecto. Dat. XVI. Kal. Sext. Theſſalonicæ.

cari orationem in Metellum Nepotem ſcriptam, ſed potiùs in C. Curionem. Nam Metello pluribus verbis Cicero concertavit, ut in ep. 2. lib. V. Fam. at hîc ſe nunquam uno verbo concertaſſe dicit. De Curione autem epiſt. 15. his verbis: *Sed quid Curio? an illam orationem non legit? quæ unde ſit prolata, neſcio.* MANUTIUS.

6. *Sanari*] Revocari. CORRADUS.

7. *Dodona*] Caſu accuſandi, à Græco Dodon, Latinè Dodona, urbs eſt in Epiro. POPMA. Cùm ſit in mſſ. *venires Sidona.* vel *Dona*, quanto probabilius inde Ciceronem ſcripſiſſe, *venires Itona.* Stephanus, Ιτων πόλις Θεσσαλίας, & hic locus Tullii præclarè firmat teſtimonium Stephani. J. F. GRONOVIUS.

8. *Iſtic*] Romæ.

CICERO ATTICO SAL.

QUOD ad te ſcripſeram me in Epiro futurum; poſtea quàm extenuari ſpem noſtram, & evaneſcere vidi, mutavi conſilium: nec me Theſſalonicâ commovi, ubi eſſe ſtatueram, quoad aliquid ad me de eo ſcriberes, quod proximis literis ſcripſeras, fore utì ſecundùm comitia aliquid de nobis in Senatu ageretur; id tibi Pompeium dixiſſe. Qua de re, quoniam comitia habita ſunt, tûque nihil ad me ſcribis; proinde habebo ac ſi ſcripſiſſes nihil eſſe; [1] neque temporis non longinqui ſpe ductum eſſe moleſtè feram. Quem autem motum te videre ſcri- 13

pſeras,

1. *Neque temporis non longinqui*] Senſus eſt: Neque feram moleſtè, ſperaſſe brevi tempore: hoc eſt, ſpe illâ privatum eſſe, qua ſuſtentabar: cùm mihi amicior veritas, quàm conſolatio ſit. Vel ſic: Nec moleſtè feram, paucos hoſce dies non malè ſperaſſe. MALASPINA. Sic verò Mongaltus: *Neque moleſtè feram, ſperaſſe me, licet fruſtrà & inaniter, fore ut, poſt tempus non longinquum, reſtituerer.* Quod, opinor, verius eſt. OLIVETUS.

pseras, qui nobis utilis fore videretur, eum nuntiant, qui veniunt, nullum fore. In Tribunis plebis designatis reliqua spes est: quam si expectaro, non erit, quòd putes me causæ meæ, ac voluntati meorum defuisse. Quod me sæpè accusas, cur hunc meum casum tam graviter feram, debes ignoscere, cùm ita me afflictum videas, ut neminem unquam nec videris, nec audieris. Nam quod scribis te audire, me etiam mentis errore ex dolore affici: mihi verò mens integra est; atque utinam tam in periculo fuisset, cùm ego iis, quibus meam salutem carissimam esse arbitrabar, inimicissimis crudelissimisque usus sum: qui, ut me paululùm inclinari timore viderunt, sic impulerunt, ut omni suo scelere & perfidiâ abuterentur ad exitium meum. Nunc, quoniam est [2] Cyzicum nobis eundum, quò rariùs ad me literæ perferentur, hoc velim diligentiùs omnia, quæ putaris me scire opus esse, perscribas. Q. fratrem meum fac diligas: quem ego miser si incolumem relinquo, non me totum periisse arbitrabor. Dat. Non. Sext.

2. *Cyzicum*] Cyzicum, & Cyzicus, urbs Mysiæ. Sed etiam in Hieroclis Synecdemo Hellesponti metropolis est, ut Lampsacus, quod *Verr.* I. 24, oppidum in Hellesponto dicitur, ab aliis refertur ad Mysiam. ERN.

CICERO ATTICO SAL.

14 EX tuis literis plenus sum expectatione de Pompeio, quidnam de nobis velit, aut ostendat. Comitia enim credo esse habita: quibus absolutis, scribis illi placuisse agi de nobis. Si tibi stultus esse videor qui sperem, facio tuo jussu; etsi scio te me iis epistolis potiùs, & meas spes solitum esse [1] remorari. Nunc velim mihi planè perscribas, quid videas. Scio nos nostris multis [2] peccatis in hanc ærumnam incidisse. Ea si qui casus aliquâ ex parte correxerint, minùs molestè feremus nos vixisse,

1. *Remorari*] Hic est sensus: Etsi scio cùm me juberes sperare, te potiùs hoc fecisse ut me & meam spem foveres, ne desperationem in consilium adhiberem, vitæque renuntiarem, quàm quòd ita rem se habere putares, ut scribebas. GRÆV.

2. *Peccatis*] Qui invidis credidimus, & legationem, Cæsare delatam, qua vitari potuit hæc ærumna, nimis imprudenter repudiavimus: cùm tantis miseriis vel mors fuerit anteponenda: cujus oppetendæ tempus honestissimum prætermisimus. Epist. 7. MANUTIUS.

xisse, & adhuc vivere. Ego propter viæ celebritatem, & quotidianam expectationem rerum novarum, non commovi me adhuc Thessalonicâ. Sed jam extrudimur, non [3] à Plancio, (nam is quidem retinet) verùm ab ipso loco, minimè apposito ad tolerandam in tanto luctu calamitatem. In Epirum ideò, ut scripseram, non veni, quòd subitò mihi universi nuntii venerant & literæ, quare nihil esset necesse quàm proximè Italiam esse. Hinc si [4] aliquid à comitiis audierimus, nos in Asiam convertemus: neque adhuc stabat quò potissimum: sed scies. Dat. XII. Kal. Sext. Thessalonicæ.

3. *A Plancio*] Apud quem Cicero erat, quæstorem in Macedonia. Idem.

4. *Aliquid*] Mali. Sic enim videtur interpretandum, nisi verbum aliquod mutes. Corradus.

Cicero Attico Sal.

Accepi Id. Sext. quatuor epistolas à te missas; unam, quâ me objurgas, & rogas ut sim firmior; alteram, quâ Crassi libertum ais tibi de mea sollicitudine, maciéque narrasse; tertiam, quâ demonstras acta in Senatu; quartam de eo, quod à Varrone scribis tibi esse confirmatum de voluntate Pompeii. Ad primam tibi hoc scribo; me ita dolere, ut non modò à mente non deserar, sed id ipsum doleam, me, tam firmâ mente ubi utar, & quibuscum, non habere. Nam si tu me uno non sine mœrore cares, quid me censes, qui & te, & omnibus? & si tu incolumis me requiris; ecquo modo à me ipsam incolumitatem desiderari putas? Nolo commemorare quibus rebus sim spoliatus, non solùm quia non ignoras, sed etiam ne [1] scindam ipse dolorem meum. Hoc confirmo, neque tantis bonis esse privatum quemquam, neque in tantas miserias incidisse. Dies autem non modò non levat luctum hunc, sed etiam auget. Nam cæteri dolores mitigantur vetustate; hic non potest non & sensu præsentis miseriæ, & recordatione præteri- 15

1. *Scindam*] *Scindere dolorem* est particulatim commemorando acerbiorem reddere: tralatio à plagis & vulneribus, quæ scissa & deducta magis dolent. Quâ formâ Lucretius lib. II. dixit, *Curas scindere animum*, quem distrahunt & exedunt. Popma.

tæ vitæ quotidie augeri. Desidero enim non mea solùm, neque meos, sed me ipsum. Quid enim sum? Sed non faciam ut aut tuum animum angam querelis, aut meis vulneribus sæpius manus afferam. Nam quòd purgas eos, quos ego mihi scripsi invidisse, & in eis Catonem: ego verò tantùm illum puto ab isto scelere abfuisse, ut maximè doleam plus apud me simulationem aliorum, quàm istius fidem valuisse. Cæteri quos purgas, debent mihi purgati esse, tibi si sunt. Sed hæc serò agimus. Crassi libertum nihil puto sincerè locutum. In Senatu rem probè scribis actam. Sed quid Curio? an [2] illam orationem non legit? quæ unde sit prolata, nescio. Sed [3] Axius, ejusdem diei scribens ad me acta, non ita laudat Curionem. At potest ille aliquid prætermittere: tu, nisi quod erat, profectò scripsisti. Varronis sermo facit [4] expectationem Cæsaris: atque utinam ipse Varro incumbat in causam: quod profectò cùm suâ sponte, tum te instante faciet. Ego, si me aliquando vestri & patriæ compotem fortuna fecerit, certè efficiam ut maximè lætere unus ex omnibus amicis; meáque officia & studia, quæ parum antea luxerunt, (fatendum est enim) sic exequar, ut me æquè tibi, ac fratri, & liberis nostris restitutum putes. Si quid in te peccavi, ac potiùs, quoniam peccavi, ignosce. In me enim ipsum peccavi vehementiùs. Neque hæc eò scribo, quòd te non meo casu maximo dolore esse affectum sciam: sed profectò, si, quan-

2. *Illam orationem*] In ipsum. Epist. 12. Placet autem, ut de Curione patre potiùs accipiatur, quàm de filio; utpote cujus sententiam, auctoritatémque in senatu pluris Cicero deberet æstimare. Præterea, cùm loquitur Cicero de filio, semper aliquid apponit, ut cùm dicit, Curio adolescens, ep. 8. & 18. lib. II. Curio meus, epist. 12. lib. II. Curio filius, ep. 19. & 24 lib. II. De patre cùm loquitur, nihil adscribit, ut ep. 12. & 17. lib. I, & 20. lib. III. De hac oratione in Curionem simul & Clodium mentionem faciunt Quintilianus, Nonius, Rufinianus. MANUTIUS.

3. *Axius*] Hunc opinor esse Axium, vel hujus certè filium, qui in Argenteo denario *L. Axsius L. F. Naso* descriptus est. URSIN.

4. *Expectationem Cæsaris*] Habet, cur etiam à Cæsare opem expectemus. MAN.

5. *De collegiis*] Ex quatuor legibus eam nominat, quæ maximè contra ipsum pro Clodio fuit; qui, collegiorum nomine, opes, & servitia in Ciceronis perniciem conscripserat. In orationibus. IDEM.

6. *Potuit*] Oportuit, debuit. Non perfectum est autem, quia merita mea nulla erant. Tale illud ep. 9. lib. II. *Orbis hic in republica conversus est, citiùs omnino, quàm potuit.* IDEM.

7. *Responso*] Cùm ab eo contra Clodii iniquissimam legem auxilium petii. Quid autem ei respondit Pompeius? nihil se contra Cæsaris voluntatem posse facere. De quo epist. 4. lib. X. IDEM.

8. *Turpissimo consilio*] Abeundi in exilium: cùm potiùs morte occumbere deberem. IDEM.

9. *Cum Culeone*] Ut Pompeii amico, ep. 16.

quantum me amas & amasti, tantum amare deberes, ac debuisses, nunquam esses passus me, quo tu abundabas, egere consilio; nec esses passus mihi persuaderi, utile nobis esse legem [5] de collegiis perferri. Sed tu tantùm lacrymas præbuisti dolori meo, quod erat amoris, tanquam ipse ego: quod meritis meis perfectum esse [6] potuit, ut dies & noctes quid mihi faciendum esset cogitares, id abs te meo, non tuo scelere prætermissum est. Quòd si non modò tu, sed quisquam fuisset, qui me Pompeii minùs liberali [7] responso perterritum à [8] turpissimo consilio revocaret, quod unus tu facere maximè potuisti, aut occubuissem honestè, aut victores hodie viveremus. Hîc mihi ignoscis. Me enim ipsum multò magis accuso; deinde te, quasi me alterum: & simul meæ culpæ socium quæro: ac si restituor, etiam minùs videbimur deliquisse; abs téque certè, quoniam nullo nostro, tuo ipsius beneficio diligemur. Quod te [9] cum Culeone scribis [10] de privilegio locutum; est aliquid; sed multò est melius abrogari. Si enim nemo impediet, quid est firmius? sin erit, qui ferri non sinat; idem senatus-consulto intercedet. Nec quicquam aliud opus est quàm abrogari. Nam [11] prior lex nos nihil lædebat. Quam si, ut est promulgata, laudare voluissemus, aut, ut erat negligenda, negligere, nocere omnino nobis non potuisset. Hîc mihi primùm non modò consilium defuit, sed etiam obfuit. Cæci, cæci, inquam, fuimus [12] in vestitu mutando, in populo rogando.

ep. 16. lib. VIII. Sed video legi etiam posse, *Aculeone*, ut sit C. Visellius Varro Aculeo, qui cùm esset Ciceronis consobrinus, & juris civilis disciplinam à patre Aculeone traditam teneret, (*Brut....*) de privilegio poterat respondere, & ut Cæsaris amicus, quid Cæsar cogitaret, cognoscere. Orat. de Prov. Cons. Corradus.

10. *De privilegio*] Lege Clodiâ mihi privato irrogatâ ita, ut privilegium possit appellari, cùm leges sacratæ, & XII. tabulæ id vetent. *Orat. pro Dom.* Itaque locutus est Culeo de me agendum esse, tanquam, quod tulit Clodius, privilegium sit, non lex, & ob id me statim posse revocari: ut censuit etiam L. Cotta. *Ibid.* Idem. *Privilegium* hoc differt à *lege*, quòd hæc ad multos, illud ad unum pertinet. Manutius.

11. *Prior lex*] Duas leges Clodius tulit. Prior fuit contrà eos, qui cives Romanos sine judicio populi necassent; qua in lege nominatim de Cicerone scriptum nihil erat; itaque nihil eum lædebat: *Velleius* lib. 2, & *Dio* 38. Altera nominatim in Ciceronem, quoniam is cives Romanos, indictâ causâ, condemnasset. Manutius.

12. *In vestitu mutando*] Nam, si legem laudare noluerat, negligere saltem debuit. Neutrum fecit; sed, vestitu mutato, populum rogavit, ne legem perferri sineret. Quod ei pernicioſum fuit. Populum enim offendit, cùm de antiquanda ea lege rogavit, in qua popularia multa de industria Clodius admiscuerat. Idem.

Quod, nisi nominatim mecum agi cœptum esset, fieri pernicioſum fuit. Sed pergo præterita. Veruntamen ob hanc cauſam, ut, [13] ſi quid ageretur, legem illam, in qua popularia multa ſunt, [14] ne tangatis. Verùm eſt ſtultum me præcipere quid agatis, aut quo modo. Utinam modò agatur aliquid: in quo ipſo multa occultant tuæ literæ, credo ne vehementiùs deſperatione perturber. Quid enim vides agi poſſe, aut quo modo? per Senatúmne? aſt tute ſcripſiſti ad me, quoddam caput legis Clodium in curiæ poſte fixiſſe, [15] ne referri, néve dici liceret. Quo modo igitur [16] Domitius ſe dixit relaturum? quo modo autem iis, quos tu ſcribis, & [17] de re dicentibus, & ut referretur poſtulantibus, Clodius tacuit? Ac, ſi per populum, poterintne niſi de omnium Tribunorum plebis ſententia? Quid [18] de bonis? quid [19] de domo? poteritne reſtitui? aut, ſi non poterit, egomet quomodo potero? Hæc niſi vides expediri, quam in ſpem me vocas? ſin autem ſpei nihil eſt, quæ eſt mihi vita? Itaque expecto Theſſalonicæ acta Kalend. Sext. ex quibus ſtatuam, in tuóſne agros confugiam, ut neque videam homines, quos nolim, & te, ut ſcribis, videam, & propiùs ſim, ſi quid agatur: idque intellexi cùm tibi, tum Quinto fratri placere; an abeam [20] Cyzicum. Nunc, Pomponi, quoniam nihil impertiſti tuæ prudentiæ ad ſalutem meam, quòd aut in me ipſo ſatis eſſe conſilii decrêras, aut te nihil plus mihi debere, quàm ut præſtò eſſes; quoniámque ego proditus, inductus, conjectus in fraudem, omnia mea præſidia neglexi; totam Italiam, in me erectam ad me defendendum, deſtitui & reliqui;

13. *Si quid ageretur*] Si quid ageretis de ſalute mea. IDEM.

14. *Ne tangatis*] Primùm, quia nominatim in ea contra me nihil eſt: deinde, quia, popularem legem abrogare, aut infirmare ſi vultis, populus offendetur. Alteram igitur, date operam, ut abrogetis: quando & minùs popularis, & nominatim contra me eſt: priorem ne tangite. IDEM.

15. *Ne referri, néve dici*] Primùm refertur, deinde dicuntur in ſenatu ſententiæ, rogante ſenatores conſule, aut eo, qui ſenatum habet. IDEM.

16. *Domitius*] Domitius Ahenobarbus, qui hoc anno præturam gerebat, ut ex Suetonii Julio, & ex epiſtola lib. I. ad Q. fratrem cognovimus. IDEM.

17. *De re*] De me revocando. IDEM.

18. *De bonis*] A Clodio publicatis? quorum tamen nemo rem ullam attigit, qui non omnium judicio ſceleratiſſimus ſit habitus, *Orat. pro Dom.* CORRADUS.

19. *De domo*] A Clodio Libertati conſecrata? *Ibid.* IDEM.

20. *Cyzicum*] In Aſiam. Quod faciam, niſi mihi tuæ literæ ſpem aliquam oſtenderint. Epiſt. 15. & 16. MANUTIUS. De Cyzico urbe, vide ſuprà, epiſt. 13.

reliqui; me, meos meis tradidi inimicis, inſpectante & tacente te; qui ſi non plus ingenio valebas quàm ego, certè timebas minùs: ſi potes, erige afflictos, & in eo nos juva: ſin omnia ſunt obſtructa, id ipſum fac ut ſciamus: & nos aliquando aut objurgare, aut comiter conſolari deſine. Ego ſi tuam fidem accuſarem, non me potiſſimùm *tuis tectis* crederem: meam amentiam accuſo, *quòd à te tantum amari, quantum ego vellem, putavi: quod ſi fuiſſet, fidem eandem, curam majorem adhibuiſſes, me certè ad exitium præcipitantem retinuiſſes; iſtos labores, quos nunc in naufragiis noſtris ſuſcipis, non ſubiſſes.* Quare fac, ut omnia ad me perſpecta & explorata perſcribas; méque, ut facis, velis eſſe aliquem; quoniam qui fui, & qui eſſe potui, jam eſſe non poſſum; & ut his literis non te, ſed me ipſum à me eſſe accuſatum putes. Si qui erunt, quibus putes opus eſſe meo nomine literas dari, velim conſcribas, curéſque dandas. Dat. XIV. Kal. Sept.

Cicero Attico Sal.

Totum iter mihi incertum facit expectatio literarum veſtrarum Kal. Sext. [1] datarum, [2] non aliud aliquid. Si ſpes erit, Epirum; ſin minùs, Cyzicum, aut aliud quid ſequemur. Tuæ quidem literæ, quò ſæpiùs à me leguntur, hoc ſpem faciunt mihi minorem; quòd cùm [3] lectæ ſunt, tum id, quod attulerunt ad ſpem, infirmant; ut facilè appareat, te & conſolationi ſervire, & veritati: idque te rogo planè, ut ad me quæ ſcis, ut erunt; quæ putabis, ita ſcribas ut putabis. Dat. XII. Kal. Sept. 16

1. *Datarum*] Quas à te, ut opinor, eo die datas, expecto. Et Kal. Sext. ſcripſiſſe Atticum putabat; quòd, cùm ex veteri conſuetudine ſenatus Kalendis haberetur, ſtatim, ſenatu dimiſſo, quid actum eſſet eo die de Ciceronis re, ſcripturus Atticus videbatur. Manutius.

2. *Non aliud aliquid*] Totum hoc abeſt à libro mſ. & rectè, ut opinor. Ursin. Rectè, cur? dictum oportuit.

3. *Lectæ*] Malim ſic: *Quòd cùm lætæ ſunt, tum id... infirmant.* Ut ſit, *Lætæ*, quia ſpem oſtenderent meliorum rerum; *Infirmant*, quia certi nihil afferrent: quorum alterum ad conſolationem, alterum ad veritatem. Idem.

CICERO ATTICO SAL.

17 DE Quinto fratre nuntii nobis [1] triſtes, nec varii, venerant ex ante diem Non. Jun. uſque ad prid. Kal. Sept. Eo autem die [2] Livineius, [3] M. Reguli libertus, ad me à Regulo miſſus venit. Is omnino mentionem nullam factam eſſe nuntiavit: ſed fuiſſe tamen ſermonem [4] de C. Clodii filio: iſque mihi tum à fratre literas attulit. Sed poſtridie [5] Sextii pueri venerunt, qui à te literas attulerunt, non tam exploratas à timore, quàm ſermo Livineii fuerat. Sanè ſum in meo infinito mœrore ſollicitus, & eò magis, quòd Appii [6] quæſtio eſt. Cætera, quæ ad me eiſdem literis ſcribis de noſtra ſpe, intelligo eſſe languidiora, quàm alii oſtendunt. Ego autem, quoniam non longè ab eo tempore abſumus, in quo res dijudicabitur, aut ad te conferam me, aut etiam nunc circum hæc loca commorabor. Scribit ad me frater, omnia ſua per te unum ſuſtineri. Quid te aut horter? quod facis; aut agam gratias? quod non expectas. Tantum velim, fortuna det nobis poteſtatem, ut incolumes amore noſtro perfruamur. Tuas literas ſemper maximè expecto: in quibus cave vereri, ne aut diligentia tua mihi moleſta, aut veritas acerba ſit. Dat. prid. Non. Sept.

CICE-

1. *Triſtes*] Nuntiabatur enim, reverſum ex Aſia provincia repetundarum accuſatum iri. Suprà, ep. 8. MANUTIUS.

2. *Livineius*] De quo Fam. XIII. 60.

3. *M. Reguli*] Reguli prænomen fuit Lucius, ut bene monuerunt docti viri. Vide F. Urſin. comment. de famil. Rom. in familia Livineia. GRÆVIUS.

4. *De C. Clodii filio*] Accuſatorem fore Q. fratris C. Clodii filium, eum, qui poſtea Milonem accuſavit, C. Clodio, Publii fratre, natum. MANUTIUS.

5. *Sextii*] P. Sextii tribuni plebis deſignati, pro quo extat oratio. IDEM.

6. *Quæſtio*] Publicis judiciis exercendis, quæ Quæſtiones dicebantur, præficiebantur quotannis Prætores, qui & Quæſitores inde vocabantur. Cùm autem hæc Cicero ſcribebat, Appius Clodius deſignatus erat Prætor, ut docet Dio, eíque obtigerat, ut hinc conjicimus, Quæſtio de pecuniis repetundis. Itaque verebatur Cicero, ne valdè periculoſum eſſet Q. fratri cauſam dicere de pecuniis repetundis, quarum audierat eum poſtulatum iri, Appio Claudio Prætore, qui erat Quinto, propter ipſum Ciceronem, inimiciſſimus. BOSIUS.

CICERO ATTICO SAL.

EXPECTATIONEM nobis non parvam attuleras, cùm scripseras Varronem tibi pro amicitia confirmasse, causam nostram Pompeium certè susceptúrum: &, simul à Cæsare literæ, quas expectaret, remissæ essent, [1] auctorem etiam daturum. Utrùm *id nihil fuit, an adversatæ sunt Cæsaris literæ? an est aliquid in spe? Etiam illud* scripseras, eundem secundùm *comitia* [2] *dixisse*. Fac (si vides quantis in malis jaceam, & si *putas* esse humanitatis tuæ) me fac de totâ causâ nostrâ certiorem. Nam Quintus frater, homo mirus, qui me tam valdè amat, omnia mittit spei plena, metuens, credo, defectionem animi mei. Tuæ autem literæ sunt variæ. Neque enim me desperare vis, nec temerè sperare. Fac, obsecro te, ut omnia, quæ perspici à te possunt, sciamus. 18

1. *Auctorem*] Qui referret in Senatu, contempto Clodiæ legis capite, quo cautum erat ne referri liceret. MAN. Idem in Pison. *De me senatus ita decrevit, Cn. Pompeio auctore & ejus sententiæ principe.* Ex quo loco videmus *ipsum* Pompeium fuisse auctorem. Hoc hîc promittit, se auctorem daturum, hoc est, incitaturum qui senatui persuaderet, ut Cicero restitueretur patriæ & dignitati, sive tunc ipse futurus esset auctor hujus rei, ut fuit, sive alius, cujus operâ uteretur. GRÆVIUS.

Dixisse] Habitis comitiis, de me in senatu actum iri. Ep. 13. & 14. MANUT.

CICERO ATTICO SAL.

QUOAD ejusmodi mihi literæ à vobis afferebantur, ut aliquid ex iis esset expectandum; spe & cupiditate Thessalonicæ retentus sum. Postea quàm omnis actio hujus anni confecta nobis videbatur, in Asiam ire *nolui*: quòd & celebritas mihi odio est: &, si fieret aliquid à novis magistratibus, abesse longè nolebam. Itaque in Epirum ad te statui me conferre; non quò mea interesset loci natura, qui lucem omnino fugerem: sed & ad salutem libentissimè [1] ex tuo portu proficiscar: &, 19

1. *Ex tuo portu*] Non accipio μεταφορικῶς dictum, sed revera ex portu: ut sit: ex quovis portu libenter ad salutem, ex tuo libentissimè proficiscar. *Ex tuo* autem, ex quo tu solvis, cùm in Italiam à tuis possessionibus redis. MANUTIUS.

&, ſi ea præciſa erit, nuſquam faciliùs hanc miſerrimam vitam vel ſuſtentabo, vel, quod multo eſt melius, abjecero. Ero cum paucis, multitudinem dimittam. Me tuæ literæ nunquam in tantam ſpem adduxerunt, quantam aliorum: attamen mea ſpes etiam tenuior ſemper fuit, quàm tuæ literæ. Sed tamen quoniam cœptum eſt, age quoquo modo cœptum eſt, & quacunque de cauſa, non deſeram neque optimi atque unici fratris miſeras ac luctuoſas preces; nec Sextii cæterorúmque promiſſa; nec ſpem ærumnoſiſſimæ mulieris Terentiæ; nec miſerrimæ mulieris Tulliolæ obſecrationem, & fideles literas tuas. *Mihi Epirus aut iter ad ſalutem dabit,* [2] aut, quod ſcripſi ſuprà. Te oro & obſecro, T. Pomponi, ſi me omnibus ampliſſimis, cariſſimis, jucundiſſimiſque rebus perfidiâ hominum ſpoliatum; ſi me à meis conſiliariis proditum & projectum vides; ſi intelligis me coactum ut ipſe me, & meos perderem, ut me tuâ miſericordiâ juves, & Quintum fratrem, qui poteſt eſſe ſalvus, ſuſtentes: Terentiam, liberóſque meos tueare; me, ſi putas te iſtic viſurum, expectes; ſi minùs, inviſas, ſi potes, mihique ex agro tuo tantum aſſignes, [3] quantum meo corpore occupari poteſt; & pueros ad me cum literis quamprimùm, & quàm ſæpiſſimè mittas. Dat. XVI. Kal. Octob.

2. *Aut, quod ſcripſi ſuprà*] Aut nuſquam faciliùs hanc miſerrimam vitam vel ſuſtentabo, vel, quod melius eſt, abjecero. IDEM.

3. *Quantum*] Cùm vitam abjecero. Sic interpretatur Mongaltus noſter.

CICERO S. D. [1] Q. CÆCILIO Q. F. POMPONIANO ATTICO.

20 QUOD [2] quidem ita eſſe, & [3] avunculum tuum functum eſſe officio, vehementiſſimè probo: gaudere me tum dicam, ſi mihi hoc verbo licebit uti. Me miſerum, quàm omnia eſſent ex ſententia, ſi nobis animus, ſi conſilium, ſi fides eorum,

1. *Q. Cæcilio Q. F. Pomponiano Attico*] T. Pomponio Attico, qui à Q. Cæcilio, avunculo ſuo, teſtamento adoptatus, heréſque factus, *Q. Cæcilius Q. F. Pomponianus Atticus* appellabatur, vetere prænomine omiſſo, nomine ita conſervato, ut in *anus* deſineret, cognomine eodem: ex uſitata adoptionum formula. MAN.

2. *Quod quidem ita eſſe*] Epiſtolam cum præſcriptione conjungit, ut ep. ult. lib. I. Fam. CORRADUS.

3. *Avunculum*] Q. Cæcilium, de quo ep. 1. lib. I. te adoptaſſe & heredem feciſſe. IDEM.

eorum, quibus credidimus, non defuiſſet: quæ colligere nolo, ne augeam mœrorem. Sed tibi venire in mentem certè ſcio, quæ vita eſſet noſtra, quæ ſuavitas, quæ dignitas. Ad quæ recuperanda [4] per fortunas incumbe, ut facis, diémque natalem reditûs mei cura ut in tuis [5] ædibus amœniſſimis agam tecum, & cum meis. Ego huic ſpei & expectationi, quæ nobis [6] proponitur, maximè tamen volui præſtolari apud te in Epiro: ſed ita ad me ſcribitur, ut putem eſſe commodius nos eiſdem in locis eſſe. De domo & [7] Curionis oratione, ut ſcribis, ita eſt. In univerſa ſalute, ſi ea modò nobis reſtituetur, inerunt omnia; ex quibus nihil malo, quàm domum. Sed tibi nihil mando nominatim: totum me tuo amori, fideíque commendo. Quod te in tanta hereditate ab omni occupatione expediſti, valdè mihi gratum eſt. Quòd facultates tuas ad meam ſalutem polliceris, ut omnibus rebus à te præter cæteros juver, id quantum ſit præſidium video; intelligóque te multas partes meæ ſalutis & ſuſcipere, & poſſe ſuſtinere: neque, ut ita facias, rogandum eſſe. Quòd me vetas quicquam ſuſpicari accidiſſe ad animum tuum, quod [8] ſecus à me erga te commiſſum, aut prætermiſſum videretur, geram tibi morem, & liberabor iſtâ curâ: tibi tamen eò plus debebo, quò tua in me humanitas fuerit excelſior, quàm in te mea. Velim, quid videas, quid intelligas, quid agatur ad me ſcribas: [9] tuóſque omnes ad noſtram

4. *Per fortunas*] Genus obteſtationis, quod uſurpamus in re miſera, nec unquam ſine dolore. *Per fortunas miſeras noſtras, vide, ne puerum perditum perdamus*: in epiſtola ad Terentiam. *Per fortunas tuas*, dixit Cælius, *per liberos*, Cicero, *te oro, & obſecro, ne quid gravius de ſalute, & incolumitate tua conſulas.* Manutius.

5. *Ædibus*] Ab avunculo relictis.

6. *Proponitur, maximè tamen*] Meliùs fortaſſe legetur: *proponitur maxima, tamen.* Corrad. Illud *tamen* quò pertineat nemo dixerit, & planè id reſpuit Latinæ linguæ, imò omnium linguarum uſus & ratio. Quid mihi accuratiùs hæc perpendenti in mentem venerit aperiam doctis hominibus: illi judicent recténe viderim, an ſecus, Ciceronem nimirum ſcripſiſſe: *Ego huic ſpei & expectationi, quæ nobis proponitur cùm maximè, volui præſtolari apud te in Epiro. Cùm maximè* Ciceroni eſt in præſenti tempore, in præſentia. Orat. de Haruſp. reſp. cap. 15. *Veruntamen antiqua negligimus: etiámne ea negligemus, quæ fiunt cùm maximè?* Grævius.

7. *Curionis oratione*] Quia Clodius Ciceronis domum Libertati conſecraverat, ideò Atticus cum Curione, qui pontifex erat, ſermonem habuerat de domo liberanda. Manutius.

8. *Secus à me erga te*] Reſponderat Atticus ad id, quod Cicero ſcripſerat, *Mea officia & ſtudia parum antea luxerunt.* Ep. 15. Idem.

9. *Tuóſque omnes*] Lege, *tuóſque, omnéſque ad noſtram* &c. Muretus.

ſtram ſalutem adhortere. [10] Rogatio Sextii [11] neque dignitatis ſatis habet, nec cautionis. Nam & nominatim ferre oportet, & [12] de bonis diligentiùs ſcribi: & id animadvertas velim. Dat. IV. Non. Octob. Theſſalonicæ.

10. *Rogatio Sextii*] Sextius tribunus plebis deſignatus rogationem ſcripſerat de Cicerone reſtituendo; quam deinde in magiſtratu ferret. Eam rogationem Atticus ad Ciceronem miſerat. MANUTIUS.

11. *Neque dignitatis*] Cùm de me nominatim non ferat. IDEM.

12. *De bonis*] A Clodio publicatis. CORR.

CICERO ATTICO SAL.

21 TRIGINTA dies erant [1] ipſi, cùm has dabam literas, per quos nullas à vobis acceperam. Mihi autem erat in animo jam, ut antea ad te ſcripſi, ire in Epirum, & ibi omnem caſum potiſſimùm expectare. Te oro, ut, ſi quid erit, quod perſpicias quamcunque in partem, quàm planiſſimè ad me ſcribas: & meo nomine, ut ſcribis, literas, quibus putabis opus eſſe, ut des. Dat. v. Kal. [2] Novemb.

1. *Ipſi*] Integri. Locutio antiquis ſcriptoribus uſitata. *Ego*, inquit in epiſtola ad Cælium, *cùm Athenis decem ipſos dies fuiſſem.* MANUTIUS.

2. *Novemb.*] Additur in veteri libro, *Theſſalonicæ.* BOSIUS *Baluzianus.*

CICERO ATTICO SAL.

22 ETSI diligenter ad me Quintus frater, [1] & Piſo, quæ eſſent acta, ſcripſerant: tamen vellem tua te occupatio non impediſſet, quo minùs, ut conſueſti, ad me quid ageretur, & quid intelligeres, perſcriberes. Me adhuc Plancius liberalitate ſuâ [2] retinet, jam aliquoties conatum ire in Epirum. Spes homini eſt injecta, non eadem quæ mihi, poſſe nos unà [3] decedere: quam rem ſibi magno honori ſperat fore. Sed jam, cùm adventare [4] milites [5] dicentur, faciendum nobis erit ut ab eo diſcedamus.

1. *Piſo*] C. Piſo Frugi, Tulliolæ vir. Ep. 2. lib. I. MANUTIUS.

2. *Retinet*] Theſſalonicæ. IDEM.

3. *Decedere*] Quæſtor enim erat Plancius in Macedonia, prætore L. Appuleio. In oratione pro Plancio. IDEM.

4. *Milites*] Quos L. Piſo proconſul, L. Appuleio prætori Macedoniæ ſucceſſurus, præmiſerat. Ab iis autem ideo timebat, quòd ſibi Piſonem inimiciſſimum cognoverat, utpote cujus in conſulatu à Clodio pulſus eſſet. IDEM.

5. *Dicentur*] Faerni liber, *dicerentur.* Malaſpina, *dicantur.* Grævius, *diceretur.*

cedamus. Quod cùm faciemus, ad te ſtatim mittemus, ut ſcias ubi ſimus. [6] Lentulus ſuo in nos officio, quod & re, & promiſſis, & literis declarat, ſpem nobis nonnullam affert Pompeii voluntatis. Sæpè enim tu ad me ſcripſiſti, eum totum eſſe [7] in illius poteſtate. De [8] Metello ſcripſit ad me frater, quantum ſperaret, [9] profectum eſſe per te. *Mi Pomponi*, pugna ut tecum & cum meis *mihi liceat vivere*, & ſcribe ad me omnia. Premor cùm *luctu*, *tum deſiderio* rerum omnium, quæ mihi me *cariores ſemper fuerunt*. Cura ut valeas.

Ego, quòd per Theſſaliam ſi irem in Epirum, perdiu nihil eram auditurus, & quòd mei ſtudioſos habeo Dyrrachinos, ad eos perrexi, cùm illa ſuperiora Theſſalonicæ ſcripſiſſem. Inde cùm ad te me convertam, faciam ut ſcias: túque ad me velim omnia quàm diligentiſſimè, cuicuimodi ſunt, ſcribas. Ego jam aut rem, aut ne ſpem quidem expecto. Dat. VI. Kalend. Decemb. Dyrrachii.

6. *Lentulus*] Conſul deſignatus cum Metello Nepote. Fam. lib. I. Idem.

7. *In illius poteſtate*] Quia debebat Lentulo Pompeius. Vide ep. ad Lentulum, lib. I. Fam. Idem.

8. *Metello*] Nepote, conſule deſignato, fratre P. Clodii. Idem.

9. *Profectum*] *Perfectum* eſt in antiquo, pro *profectum*. Ursinus. Scribendum eſſe *perfectum*, cenſuit etiam Muretus. Græv.

Cicero Attico Sal.

Ante d. V. Kal. Decemb. tres epiſtolas à te accepi; unam datam a. d. VIII Kal. Novemb. in qua me hortaris, ut forti animo menſem [1] Januarium expectem: eáque, quæ ad ſpem putas pertinere, de Lentuli ſtudio, de Metelli [2] voluntate, de tota Pompeii ratione, perſcribis. In altera epiſtola præter conſuetudinem tuam diem non adſcribis: ſed ſatis ſignificas tempus: lege enim [3] ab octo Tribunis plebis [4] promulgatâ, ſcribis te eas literas eo ipſo die dediſſe, id eſt a. d. IV. Kal. Novemb. 23

X 2

1. *Januarium*] Cujus menſis die primo novi coſſ. magiſtratum inituri erant.

2. *Voluntate*] A Cicerone non ampliùs alienâ. Manutius.

3. *Ab octo*] Collegis Clodii: veteres enim tribunos plebis intelligit, ut ipſe paulo pòſt declarat. Idem.

4. *Promulgatâ*] De reditu Ciceronis: quæ tamen lata non eſt, duobus reliquis tribunis intercedentibus, P. Clodio, & Ælio Ligure. Idem.

vemb. & quid putes [5] utilitatis eam promulgationem attulisse scribis. In quo si etiam nostra salus [6] cum hac lege desperata erit, velim pro tuo in me amore hanc inanem meam diligentiam, miserabilem potiùs, quàm ineptam putes: sin est aliquid spei, des operam ut majore diligentiâ posthac [7] à novis magistratibus defendamur. Nam ea veterum Tribunorum plebis rogatio tria capita habuit; unum de reditu meo, scriptum incautè. Nihil enim restituitur, præter civitatem, & [8] ordinem: quod mihi pro meo casu satis est. Sed quæ [9] cavenda fuerint, & quo modo, te non fugit. Alterum caput est [10] tralatitium de impunitate, si quid contra alias leges ejus legis ergò factum sit. Tertium caput, mi Pomponi, quo consilio, & [11] à quo sit inculcatum vide. Scis enim Clodium sanxisse, ut vix, [12] aut omnino non posset nec per Senatum, nec per populum infirmari sua lex. Sed vides nunquam esse observatas sanctiones earum legum, quæ abrogarentur. Nam si id esset, nulla ferè abrogari posset: neque enim ulla est, quæ non ipsa se sepiat difficultate abrogationis: sed, cùm lex abrogatur, illud ipsum abrogatur, quo non eam abrogari oporteat. Hoc [13] cùm revera ita sit;

5. *Utilitatis*] Etiam si lex lata non sit, hæc tamen octo tribunorum promulgatio hoc attulit utilitatis, quòd mox à novis tribunis majore studio in magistratu causa suscipietur: quippe cùm intelligent, Clodianæ potentiæ nervos jam esse magnâ ex parte præcisos, quando de reditu Ciceronis promulgarint octo tribuni plebis, quorum nemo magistratûs initio, promulgante Clodio legem in Ciceronem, ausus erat intercedere. Hoc utilitatis putabat Atticus eam promulgationem attulisse. Id.

6. *Cum hac lege*] Quæ desperata erat, cùm intercessissent duo tribuni plebis Clodius, & Ælius. Idem.

7. *A nostris*] Rectiùs legeretur, *A novis*. Sequitur enim ἀντίθετον, *Veterum*. Et, Novis, pro designatis accipe. Aut *Nostris*, nostram causam adjuvantibus. Idem.

8. *Ordinem*] Senatorium; quem, qui legibus ejiciuntur, cum civitate simul amittunt. Sibi tamen ereptum lege Clodiâ non esse, in Oratione pro Domo probat. Idem.

9. *Cavenda*] Cavendum autem fuerat de domo, & de bonis. Quod tribuni plebis in lege omiserant. Idem.

10. *Tralaticium de impunitate*] Quæcunque lata unquam lex fuit, in ea hoc scriptum est, ut, si quid ejus legis causâ contra alias leges factum esset, id latori impune esset. Est autem, *Translaticium*, usitatum, aliunde translatum. Idem.

11. *A quo*] Ex octo tribunis plebis quis caput hoc inculcaverit. Idem.

12. *Aut omnino*] Lege, *aut, ut omnino* &c. Bosius *Baluzianus*.

13. *Cùm revera*] Lege, *cùm & re vera ita sit, & cùm semper* &c. Idem.

14. *Hoc est quod per legem Clodiam*] Hæc verba à cæteris apicum varietate distinguenda, quòd Ciceronis hoc glossema, quod ille de suo ad Tribunariæ rogationis contextum addidit, inconsideratam Tribunorum vecordiam ridens, qui menti propositóque, quod in animo habebant, repugnans caput adscripserant, quo lex Clodia in ipsa excipiebatur: quâ salvâ manente Cicero ab exilio revocari non poterat, ac proinde;

sit; cùm semper ita habitum observatúmque sit, octo nostri Tribuni plebis caput posuerunt hoc: *si quid in hac rogatione scriptum est, quod per leges, plebisve scitum*, [14] hoc est, quod per legem Clodiam, *promulgare, abrogare, derogare, obrogare* [15] *S. F. sua non liceat, non licuerit; quódve ei qui promulgavit, abrogavit, derogavit, obrogavit, ob eam rem pœnæ multæve sit, E. H. L. N. R.* Atque [16] hoc in illis Tribunis plebis non lædebat. Lege enim collegii sui non tenebantur: quo major est suspicio malitiæ alicujus, cùm id, quod ad ipsos nihil pertinebat, erat autem contra me, scripserunt: ut novi Tribuni plebis si essent timidiores, multò magis sibi eo capite utendum putarent. Neque id à Clodio prætermissum est. Dixit enim in concione a. d. III. Non. Nov. hoc capite designatis Tribunis plebis præscriptum esse quid liceret: tamen in lege nulla esse [17] ejusmodi caput, te non fallit. Quod si opus esset, omnes in abrogando uterentur. Ut Ninnium, aut cæteros fugerit [18] investiges velim: & quis attulerit; & quare octo Tribuni plebis ad Senatum de me referre non dubitarint; [19] sive quòd observandum illud caput non putabant, iidem in abrogando tam cauti fuerint, ut

proinde ut effectum haberet rogatio, & res ad exitum perduceretur, ei legi nominatim derogari, obrogari, abrogari necesse erat. Brissonius.

15. *S. F.*] Sine fraude, hoc est, sine damno. Quod sequitur, *E. H. L. N. R.* hoc est, *Ejus hac lege nihil rogatur.* Vide Brissonium de Formulis.

16. *Hoc in illis*] In veteribus tribunis plebis quod Clodius in sua lege posuerat, ut ei pœna esset constituta, qui promulgasset, abrogasset, derogasset; eo collegæ ipsius non tenebantur: siquidem tribuni plebis si quam quis ex collegio suo legem tulisset, eâ lege soluti erant. Itaque, cùm *hoc tertium caput*, de vitanda legis Clodiæ sanctione, qua ipsi non tenebantur, *sine causâ posuerint*; vereor, inquit, ex *octo tribunis plebis* ne quis malitiosè fecerit, *ut deinde novi tribuni* plebis cùm rogationem de me ferrent, multò magis eo capite *sibi* utendum putarent, quo usos viderent eos, qui tamen Clodiâ lege non tenerentur. Neque verò necessarium videbatur, cùm lex abrogaretur, ab iis sanctionibus, quæ in ea lege essent, cavere. Abrogatâ enim lege, sanctiones non observantur. Manutius.

17. *Ejusmodi caput*] Nemo enim sibi cavendum putavit à sanctione legis, quam abrogaret. Neque opus est: nam si esset, omnes in abroganda lege ejusmodi capite sibi caverent. Idem.

18. *Investiges*] Investiga, inquit, ejus capitis addendi quis fuerit auctor, & quare octo tribuni plebis ad senatum de me referre non dubitarint. Si enim idcirco non dubitarunt, quòd observandum illud caput non putabant, quo Clodius sanxerat, ne de me referri, néve dici liceret: iidem postea tam cauti esse voluerunt, ut caput illud, quod ad senatum referentes non observarant, in abrogandâ lege Clodiâ metuerent? Idem.

19. *Sive quòd*] Locus corruptus. Legendum putat, *si qui*, Corradus: *si enim, quòd*, Manutius: *sine quòd*, Bosius: *sitque observandum*, Grævius.

id metuerent, [20] soluti cùm essent; quod ne iis quidem, quî lege tenentur, est curandum. Id caput sanè nolim novos Tribunos plebis ferre: sed perferant modò quid libet: uno capite, quo revocabor, (modò res conficiatur) ero contentus. Jam dudum pudet tam multa scribere. Vereor enim, ne re jam desperatâ legas; ut hæc mea diligentia miserabilis tibi, aliis irridenda videatur. Sed si est aliquid in spe, vide legem, quam [21] T. Fadio scripsit [22] Visellius: ea mihi perplacet. Nam Sextii nostri, quam tu tibi probari scribis, mihi non placet. Tertia est epistola prid. Id. Novemb. data: in quâ exponis prudenter & diligenter, quæ sint, quæ rem distinere videantur, de Crasso, de Pompeio, de cæteris. Quare oro te, ut, si qua spes erit posse studiis bonorum, auctoritate, [23] multitudine comparatâ rem confici, des operam ut uno impetu [24] perfringatur; in eam rem incumbas, cæteróque excites. Sin, ut ego perspicio cùm tuâ conjecturâ, tum etiam meâ, spei nihil est; oro obtestórque te, ut Quintum fratrem ames, quem ego miserum miserè perdidi; néve quid eum patiare gravius consulere de se, quàm expediat sororis tuæ filio; meum Ciceronem, cui nihil misello relinquo præter invidiam & ignominiam nominis mei, tueare quoad poteris; Terentiam, unam omnium ærumnosissimam, sustentes tuis officiis. Ego in Epirum proficiscar, cùm [25] primorum dierum nuntios excepero. Tu ad me velim proximis literis, ut se initia dederint, perscribas. Dat. prid. Kal. Decemb.

CICE-

---

20. *Soluti cùm essent*] Quia lege collegii sui non tenebantur. MANUTIUS.

21. *T. Fadio*] Quam T. Fadius tribunus plebis designatus anno sequenti de Cicerone ferret. De hoc in oratione post reditum in senatu, & lib. I. ad Q. fratrem. ID.

22. *Visellius*] Jurisconsultus, Ciceronis consobrinus, de quo in Bruto. IDEM.

23. *Multitudine comparatâ*] Ut ex omni ferè Italia Romam convenirent ad diem rogationis ferendæ. IDEM.

24. *Perfringatur*] Hæret hîc oratio, nec est dictum de ulla re, quæ perfringi posset. Hinc Manutius & M. Brutus ediderunt, *perfringantur*, subintelligentes, ea quæ distinent. Sed contra librorum, ut puto, fidem, ex sola conjectura. In Helmstad. est *perfungatur*. Immutatâ unâ literulâ scribendum: *Ut uno impetu perfungamur*. Quæ est lectio perelegans, id significans, ut uno impetu omnia removeamus quæ nunc morantur nostra vota & desideria. GRÆVIUS.

25. *Primorum dierum*] Post initum à tribunis plebis magistratum: quod IV. id. Decembris fiebat. MANUTIUS.

Cicero Attico Sal.

Antea cùm ad me scripsissetis, [1] vestro consensu Consulum provincias [2] ornatas esse: etsi verebar quorsum id casurum esset, tamen sperabam vos aliquid aliquando vidisse prudentius: posteaquam mihi & dictum est & scriptum, vehementer consilium vestrum reprehendi, sum graviter commotus; quòd illa ipsa spes exigua, quæ erat, [3] videtur esse sublata. Nam si Tribuni plebis nobis succensent, quæ potest spes esse? Ac videntur jure succensere: cùm & [4] expertes consilii fuerint, qui causam nostram susceperant; & [5] nostrâ concessione omnem vim sui juris amiserint: præsertim cùm ita dicant, se nostrâ causâ voluisse suam potestatem esse de Consulibus [6] ornandis, non ut eos impedirent, sed ut ad nostram causam [7] adjungerent. Nunc si Consules à nobis alieniores esse velint, posse id [8] liberè facere; sin vellent nostrâ causâ, [9] nihil posse [10] se invitis. Nam quod scribis; ni ita nobis placuisset, illos hoc idem per populum assecuturos 24

1. *Vestro consensu*] Consensistis, ut senatus provincias decerneret consulibus designatis Lentulo, & Metello; quam rem novi tribuni plebis usque differri volebant, dum ipsi magistratum ingrederentur: non ut senatus-consultum impedirent, sed ut non impedientes, eo quasi beneficio consules ad nostram causam adjungerent. Manutius.

2. *Ornatas*] Verbum est sæpè de provinciis usurpatum ab antiquis scriptoribus. Quod ita accipio, ut cum ipsis provinciis simul decernerentur eæ res, quæ provincias administrantibus necessariæ putarentur, ut milites, pecunia, & hujusmodi. Sic *Ornare classem* in oratione pro Lege Manilià, pro instruere: ornatæ provinciæ lege curiatâ, quorum rectoribus imperium, exercitus, stipendium, legati dabantur. Sed lege curiatâ non omnes ibant in provincias, ideóque non omnes publico sumptu. Epist. 9. l. I. Fam. Idem.

3. *Videtur*] *Videretur. Bosius Baluzian.*

4. *Expertes consilii*] Hoc enim sine eorum consilio feciſtis. Manutius.

5. *Nostrâ concessione*] Nisi enim concessum à nobis esset, ut à senatu consulares provinciæ ornarentur, dilata res à veteribus tribunis plebis ad novos deveniſſet. Quæ cùm nostrâ concessione ante confecta sit, quàm ingressi magistratum sui juris vi, & potestate uti potuerint, jure nobis succensent. Idem.

6. *Ornandis*] Sic *ornare Prætores*, Ep. 3. lib. II. ad Q. fr. sic *magistratus omnes*, Liv. lib. XLII. sic *decemviros*, Orat. 2. contra Rull. & quibus ornarentur rebus. Consules autem erant P. Lentulus, & Q. Metellus Nepos. Corradus.

7. *Adjungerent*] Beneficio non impediendi. Manutius.

8. *Liberè facere*] Quia nihil amplius à nobis expectent, cùm jam sui voti compotes facti sint, provincias per senatum assecuti. Idem.

9. *Nihil posse*] Nihil enim ipsi per se consules possent, cùm penes tribunos plebis sit intercedendi potestas. Idem.

10. *Se invitis*] Ipsis tribunis plebis qui causam habent, cur nobis succenseant, Idem.

ſecuturos fuiſſe; invitis Tribunis plebis fieri [11] nullo modo potuit. Ita vereor, ne & ſtudia Tribunorum amiſerimus: &, ſi ſtudia maneant, vinclum illud adjungendorum Conſulum amiſſum ſit. Accedit aliud non parvum incommodum, quòd gravis illa opinio, ut quidem ad nos perferebatur, Senatum [12] nihil decernere antequam de nobis actum eſſet, amiſſa eſt; præſertim [13] in ea cauſa, quæ non modò neceſſaria non fuit, ſed etiam inuſitata, ac nova. Neque enim unquam arbitror ornatas eſſe provincias deſignatorum: ut, cùm in hoc illa conſtantia, quæ erat meâ cauſâ ſuſcepta, imminuta ſit, [14] nihil jam poſſit non decerni. Jam his, [15] ad quos relatum eſt, amicis placuiſſe, non mirum ſit. Erat enim difficile reperire, qui contra tanta commoda duorum conſulum palàm ſententiam diceret. Fuit omnino difficile non obſequi vel amiciſſimo homini Lentulo, vel Metello, qui [16] ſimultatem humaniſſimè deponeret. Sed vereor [17] ne hos tamen tenere potuerimus, Tribunos plebis amiſerimus. Hæc res quemadmodum ceciderit, & tota res quo loco ſit, velim ad me ſcribas; & ita ut inſtituiſti: nam iſta veritas, etiamſi jucunda non eſt, mihi tamen grata eſt. Dat. IV. Id. Decemb.

CICE-

---

11. *Nullo modo*] Quia tribuni plebis cùm lex de provinciis conſularibus ad populum ferretur, intercedere potuiſſent. Quo metu conſules ad conciliandos ſibi tribunos omnia noſtrâ causâ feciſſent, ſi de nobis priùs in ſenatu, quàm de provinciis, ageretur. Nunc video veſtro conſenſu factum eſſe, priùs ut ageretur de provinciis. Ita neque jam conſules tenemus: quibus, nullâ nunc neceſſitate obſtrictis, liberum eſt quidquid volunt: & tribunos plebis, cùm jure ſuccenſere poſſint, vereor ne amiſerimus. IDEM.

12. *Nihil decernere*] Nam quacunque de re Coſſ. verbum facere cœperunt, aut referre ad Senatum, cunctus ordo reclamat. Oſtenditque nihil eos eſſe acturos, niſi priùs de me referant. *Orat. in Piſ. poſt red. in Senat. & pro Sext.* CORRADUS.

13. *Præſertim in ea cauſa*] De ornandis provinciis. IDEM.

14. *Nihil jam poſſit non decerni*] Jam nihil erit, quod noſtræ cauſæ non anteponatur. MANUTIUS.

15. *Ad quos relatum eſt*] Quos hac de re conſultos à nobis eſſe ſcribis. IDEM.

16. *Simultatem humaniſſimè deponeret*] In tribunatu ſuſceptam, ep. 2. lib. V. Fam. Depoſuit autem eam in templo Jovis, permotus cùm Senatûs auctoritate, tum P. Servilii gravitate dicendi. *Orat. de Provinc. Conſ. in Piſ. & poſt. red. in Senat.* CORRAD.

17. *Ne hos tamen*] Legendum, *ne hos cùm tenere potuerimus*, &c. MURETUS.

Cicero Attico Sal.

POst tuum à me discessum literæ mihi Româ allatæ sunt, ex quibus perspicio nobis in hac calamitate tabescendum esse: neque enim, (sed bonam in partem accipies) si ulla spes saluti nostræ subesset, tu pro tuo amore in me hoc tempore discessisses. *Sed ne ingrati, aut ne omnia velle nobiscum unà interire videamur, hoc omitto: illud abs te peto, des operam, id quod mihi affirmasti*, ut te ante Kal. Jan. ubicunque erimus, sistas. 25

Cicero Attico Sal.

LIteræ mihi à Quinto fratre cum senatus-consulto, quod [1] de me est factum, allatæ sunt. Mihi in animo est [2] legum lationem expectare; & [3] si obtrectabitur, utar [4] auctoritate Senatûs, & potius vitâ, quàm patriâ carebo. Tu, quæso, festina ad nos venire. 26

1. *De me*] In patriam revocando. Man.
2. *Legum*] In eo enim senatus-consulto scriptum erat, non solùm ut lex de Cicerone, sed ut aliæ item leges aliis de rebus eodem tempore ferrentur. Idem.
3. *Si obtrectabitur*] Si quis tribunus plebis legum lationem impediet. Idem.
4. *Auctoritate Senatûs*] In patriam redibo; etiam si mihi ob eam rem dimicatio cum inimicis impendeat. Legis tamen lationem expectavit: rediit enim non ante pridie nonas Sext. Idem. *Uti auctoritate Senatûs* dicebantur, qui rem suscipiebant senatui probatam & placitam; etsi de ea, ob intercessionem Tribunorum & alia impedimenta, senatus-consultum solenne fieri, & legitimum non potuisset: contempto periculo, quod propterea metuendum esset. Livius, IV. 57, ubi videndus Sigonius. J. F. Gronovius.

Cicero Attico Sal.

EX tuis literis, & ex re ipsa nos funditùs periisse video. Te oro ut, quibus in rebus mei tui indigebunt, nostris miseriis ne desis. Ego te, ut scribis, citò videbo. 27

EPISTOLARUM AD ATTICUM

LIBER IV.

CICERO ATTICO SAL.

1 UM primùm Romam veni, fuítque, cui rectè ad te literas darem, nihil prius faciendum mihi putavi, quàm ut tibi abſenti de reditu noſtro gratularer. Cognôram enim, (ut verè ſcribam) te in conſiliis mihi dandis nec fortiorem, nec prudentiorem, quàm me ipſum: nec etiam pro præterita mea in te obſervantia nimiùm in cuſtodia ſalutis meæ diligentem: [1] eundémque te, qui primis temporibus erroris noſtri, aut potiùs furoris particeps, & falſi [2] timoris ſocius fuiſſes, acerbiſſimè diſcidium noſtrum tuliſſe, plurimúmque operæ, ſtudii, diligentiæ, laboris ad conficiendum reditum meum contuliſſe. Itaque hoc tibi verè affirmo, in maxima

1. *Eundémque te*] Qui non ſatis diligens in meæ ſalutis cuſtodia fuiſſes, primiſque temporibus, potiùs, ut in exilium abirem, quàm civilem ſeditionem excitarem, cohortatus eſſes, quòd id mihi duceres præſtare, eodem ſcilicet, quo ego, errore inductus, idem tamen poſtea noſtrum diſcidium acerbiſſimè ferens, ad reditum mihi omnia tua ſtudia contuliſti. MANUTIUS.

2. *Timoris*] Victor. Manut. Lamb. *rumoris*. Scilicet, brevi me rediturum: qui per ſexdecim menſes exilium pertuli.

3. *Magis, quàm optaramus*] Neque enim optandum putabamus, quod ſperandum non videretur. MANUTIUS.

4. *Inſcribam*] In his literis. Sic Horatius, *Inſcribam nomen in actis*. IDEM. Legendum, *ſcribam*. MURETUS.

xima lætitia, & exoptatiſſima gratulatione unum ad cumulandum gaudium conſpectum, aut potiùs complexum mihi tuum defuiſſe; quem ſemel nactus nunquam dimiſero: ac, niſi etiam prætermiſſos fructus tuæ ſuavitatis præteriti temporis omnes exegero, profectò hac reſtitutione fortunæ me ipſe non ſatis dignum judicabo. Nos adhuc *in noſtro ſtatu*, quod difficillimè recuperari poſſe arbitrati ſumus, *ſplendorem noſtrum illum* forenſem, & *in Senatu auctoritatem*, & apud viros bonos gratiam [3] *magis*, quàm optaramus, conſecuti ſumus. In re autem *familiari*, quæ quemadmodum fracta, diſſipata, direpta ſit non ignoras, valdè laboramus: tuarúmque non tam facultatum, quas ego noſtras eſſe judico, quàm conſiliorum ad colligendas & conſtituendas reliquias noſtras, indigemus. Nunc, etſi omnia aut ſcripta eſſe à tuis arbitror, aut etiam nuntiis ac rumore perlata, tamen ea [4] inſcribam brevi, quæ te puto potiſſimùm ex meis literis velle cognoſcere. Pridie Nonas Sext. Dyrrachio ſum profectus, ipſo illo die, quo lex eſt lata de nobis. Brunduſium veni Nonis Sext. Ibi mihi Tulliola mea fuit præſtò, *natali ſuo ipſo* die, qui caſu idem natalis erat & [5] Brunduſinæ *coloniæ*, & *tuæ vicinæ* Salutis. Quæ res animadverſa à multitudine, ſummâ Brunduſinorum gratulatione celebrata eſt. Ante diem VI. Id. Sext. *cognovi*, cùm Brunduſii eſſem, literis Quinti fratris, *mirifico ſtudio omnium* ætatum atque ordinum, incredibili *concurſu Italiæ*, *legem* [6] comitiis centuriatis eſſe perlatam. Inde à Brunduſinis honeſtiſſimis ornatus, iter ita feci, ut undique ad me cum gratulatione legati convenerint. Ad urbem ita veni, ut nemo ullius ordinis homo nomenclatori notus fuerit, qui mihi obviam non venerit, præter eos inimicos, quibus [7] id ipſum non liceret aut diſſimulare, aut negare. Cùm veniſſem ad portam Capenam, gradus templorum ab infima ple-

5. *Brunduſinæ coloniæ*] Dies erat idem, quo & Brunduſium deducta colonia fuerat, & Salutis ædes *in* Quirinali colle dedicata. Quam ideò vocat Attici vicinam, quòd *in* eodem colle & Salutis templum erat, & Atticus habitabat. Patet ex libello P. Victoris de regionibus urbis Romæ, & ex Nepote in Attici vitâ. Manut. Vide Orat. *pro Sext.* 63.

6. *Comitiis centuriatis*] Comitia centuriata erant, cùm populus non fuiſſet in tribus convocatus, ſed cenſu, ordinibus, ætatibus deſcriptus, ſuffragium, nec niſi ſingulis de rebus, ferebat: ideò centuriatis comitiis conſules creabantur, & Cicero ab exilio revocatus. Idem.

7. *Id ipſum*] Hoc videlicet, mihi eos eſſe inimicos. Idem.

be completi erant: à qua plausu maximo cùm esset mihi gratulatio significata, similis & frequentia, & plausus me usque ad Capitolium celebravit: in foróque, & in ipso Capitolio miranda multitudo fuit. Postridie in Senatu, qui fuit dies Non. Septembris, Senatui gratias egimus. Eo biduo cùm esset annonæ summa caritas, & homines [8] ad theatrum primò, deinde ad Senatum concurrissent impulsu Clodii; meâ operâ [9] frumenti inopiam esse clamarent; cùm per eos dies Senatus de annona haberetur; & ad ejus procurationem sermone non solùm plebis, verùm etiam bonorum Pompeius vocaretur; idque ipse cuperet; multitudóque à me nominatim ut id decernerem postularet; feci, & accuratè sententiam dixi, cùm abessent Consulares, quòd tutò se negarent posse sententiam dicere, præter Messallam & Afranium. Factum est senatus-consultum in meam sententiam, ut cum Pompeio ageretur, ut eam rem susciperet, léxque ferretur: quo senatus-consulto recitato, cùm continuò populus, more hoc insulso & novo, plausum, [10] meo nomine recitando, dedisset, [11] habui concionem: omnes magistratus præsentes, præter unum Prætorem, & duos Tribunos plebis [12] dederunt. Postridie Senatus frequens, & omnes Consulares nihil Pompeio postulanti negarunt. Ille legatos quindecim cùm postularet, me principem nominavit; & ad omnia me alterum se fore dixit. Legem [13] Consules conscripserunt, quâ

8. *Ad theatrum*] Pædiani verba sunt in Miloniana: *L. Cæcilius Rufus prætor fuit Lentulo Spinthere, Q. Metello Nepote Coss. quo anno Cicero restitutus est. Is cùm faceret ludos Appollinares, ita infima coacta multitudo annonæ caritate tumultuata est, ut omnes, qui in theatro spectandi gratiâ consederant, pellerentur.* IDEM.

9. *Frumenti inopiam*] Vide lib. II. ad Q. Fratr. ep. 3.

10. *Meo nomine recitando*] Cùm meum nomen recitaretur. Post senatus-consultum, ejus nomen recitabatur, cujus in sententiam factum esset. IDEM.

11. *Habui concionem*] Videtur esse oratio, quæ extat, post reditum ad Quirites. Quod si ita est, præposterè factum ab iis, qui eam ante orationem in senatu habitam collocarunt: cùm pateat ex hac epistola, pòst fuisse collocandam. IDEM. Non illam orationem, quæ extat post reditum ad Quirites, sed diversam. Hæc enim habita est de caritate frumenti: in illa de ea re tenuis est mentio, & ea, quæ ostendat potiùs vilitatem fuisse: & verisimile videtur, Ciceronem, si minùs antequam Senatui gratias ageret, certè non post aliquot dies illam habuisse, sed statim, cùm Senatui gratias egisset: ut alias conjecturas mittam. CORRADUS.

12. *Dederunt*] Concionem. Nam concionari privato non licebat, nisi magistratus curulis, aut Tribunus plebis concionem daret. Prætorem autem, qui concionem non dedit, intellige Ap. Clodium, P. Clodii fratrem: Tribunos plebis Sex. Atilium

quâ Pompeio per quinquennium omnis potestas rei frumentariæ toto orbe terrarum daretur: alteram [14] Messius, qui omnis pecuniæ dat potestatem, & adjungit classem & exercitum, & majus imperium in provinciis, quàm sit eorum, qui eas obtineant. [15] Illa nostra lex Consularis nunc modesta videtur, hæc Messii non ferenda. Pompeius [16] *illam velle* se dicit: familiares, hanc. Consulares, *duce* [17] *Favonio*, fremunt: nos tacemus; & eo magis, *quòd de domo nostra nihil* adhuc Pontifices responderunt. *Qui* [18] *si sustulerint* religionem, aream præclaram habebimus; superficiem Consules ex senatus-consulto æstimabunt: sin aliter, demolientur, suo nomine locabunt, [19] rem totam æstimabunt. Ita sunt res nostræ; ut in secundis fluxæ; ut in adversis bonæ. In re familiari valdè sumus, ut scis, perturbati. Præterea sunt [20] quædam domestica, quæ literis non committo. Quintum fratrem, insigni pietate, virtute, fide præditum sic amo, ut debeo. Te expecto, & oro, ut matures venire; eóque animo venias, ut me tuo consilio egere non sinas. Alterius vitæ quoddam initium ordimur. Jam quidam, qui nos absentes defenderunt, incipiunt præsentibus occultè irasci; apertè invidere. Vehementer te requirimus.

Atilium Serranum, & Numerium Quintium, de quibus in oratione pro Sextio, & Pædianus in Pisonem. Manutius.

13. *Consules*] P. Lentulus, Q. Metellus Nep.

14. *Messius*] Tribunus plebis, de quo Post redit. in Senatu, cap. 8.

15. *Illa nostra lex*] Conscripta ex senatus-consulto in nostram sententiam facto. Corradus.

16. *Illam velle se dicit*] Ut modestus videatur, sed dicit tantùm, & per familiares alteram quærit, ut ep. 1. lib. I. Fam. atque id ipsum more suo, ep. 9. h. l. Idem.

17. *Favonio*] Qui tamen consularis non erat. Sed summâ libertate utens, acerrimè, quæ minùs probaret, oppugnabat. Man.

18. *Si sustulerint religionem*] Si decreverint, quam partem areæ Clodius Libertati dedicavit, eam partem, sublatâ religione, restitui mihi posse; aream, in qua exædificamus, amplissimam habebimus. Consules autem vel æstimabunt, quod super solum antea ædificatum, dirutum à Clodio est; vel, si id minùs, quod nunc est demolientur, ipsi curam suscipient extruendæ mihi domûs, qualis antea fuerat. Id.

19. *Rem totam*] Non separatim domum: sed quæcunque amisimus, omnia simul unâ æstimatione complectentur. Singula tamen per se æstimata, proxima insequens epistola ostendit. Idem.

20. *Quædam domestica*] De uxore accipiendum. Nam & in epistola sequenti, *Amamur*, inquit, *à fratre*, *& à filia*. Uxorem non nominat: quasi quiddam esset, cur ab ea se non æquè, atque à fratre, & filia, intelligeret amari. Idem.

CICERO ATTICO SAL.

2 SI fortè rariùs tibi à me, quàm à cæteris, literæ redduntur; peto à te, ut id [1] non modò negligentiæ meæ, sed ne occupationi quidem tribuas: quæ etsi summa est, tamen nulla esse potest tanta, ut interrumpat iter amoris nostri, & officii mei. Nam ut veni Romam, iterum nunc sum certior factus, esse cui darem literas. Itaque has alteras dedi. Prioribus tibi declaravi adventus noster qualis fuisset, & quis esset status, atque omnes res nostræ quemadmodum essent, ut in secundis fluxæ, ut in adversis bonæ. Post illas datas literas secuta est summa contentio de domo. Diximus apud Pontifices pridie Kal. Octobres. Acta res est accuratè à nobis: &, si unquam in dicendo fuimus aliquid, aut etiam si nunquam aliàs fuimus, tum profectò [2] dolor & magnitudo vim quandam nobis dicendi dedit. Itaque oratio juventuti nostræ [3] deberi non potest: quam tibi, etiam si non desideras, tamen mittam citò. Cùm pontifices decrevissent ita, SI NEQUE POPULI JUSSU, NEQUE PLEBIS SCITU, IS QUI SE DEDICASSE DICERET, NOMINATIM EI REI PRÆFECTUS ESSET, NEQUE POPULI JUSSU, AUT PLEBIS SCITU ID FACERE JUSSUS ESSET; VIDERI POSSE SINE RELIGIONE [4] EAM PARTEM AREÆ MI RESTITUI; mihi facta statim est gratulatio. Nemo enim dubitat, quin domus nobis esset adjudicata. Tum subitò [5] ille

1. *Non modò negligentiæ*] Victorius alteram negationem addidit hoc exemplo, *non modò non negligentiæ meæ.* Quo pacto legitur in plerisque libris excusis. Sed liquidò jurare possum ab omnibus meis antiquis abesse alterum *non.* Et sanè quandoque cùm apud alios veteres auctores Latinos, tum apud hunc nostrum, *non modò*, scriptum reperias in bonis exemplaribus, pro, *non modò non*; ut ep. 5. lib. XIV: *qui orbis terræ custodiis non modò septi, sed etiam vagi esse debebant.* Bosius. Vide Muretum Var. Lect. X. cap. 7.

1. *Dolor & magnitudo*] Sic ediderunt Victorius, & Bosius: sed Man. & Lamb. *doloris magnitudo.* Gulielmus verò conjiciebat, *dolor, & rei magnitudo.*

3. *Deberi non potest*] Edenda est, quia flagitari à juventute video. MANUT. Vide de Tuscul. II. 27.

4. *Eam partem areæ*] Ut ea pars intelligatur, in qua Clodius Libertatis atrium ædificasset. Neque enim totam domum, sed eam partem solùm, quæ cum Catuli porticu juncta erat, dedicaverat; reliquam everterat. MANUTIUS.

5. *Ille*] P. Clodius. IDEM.

6. *Appius*] Illius frater, Prætor.

7. *Suam libertatem*] Atrium Libertatis, à se extructum, dirui ne patiantur. MAN.

8. *Illuc*] Ad aream. IDEM.

9. *Porticum Catuli*] Quam in domo M. Fulvii Flacci eversa de Cimbricis manubiis à Q. Lutatio Catulo factam, P. Clodius cum Ciceronis domo everterat. *Pro Domo sua. Valerius* VI. 3. IDEM.

le in concionem ascendit, quam [6] Appius ei dedit. Nuntiat jam populo Pontifices secundùm se decrevisse; me autem vi conari in possessionem venire. Hortatur, ut se & Appium sequantur, & [7] suam libertatem ut defendant. Hìc cùm etiam illi infimi partim admirarentur, partim irriderent hominis amentiam; ego statueram [8] illuc non accedere, nisi cùm Consules ex senatus-consulto [9] porticum Catuli restituendam locassent. Kalend. Octob. habetur *Senatus frequens: adhibentur* omnes Pontifices, [10] qui *erant Senatores: à quibus* [11] Marcellinus, qui erat cupidissimus *mei, sententiam primus rogatus*, quæsivit, [12] quid essent in decernendo secuti. Tum M. [13] Lucullus de omnium collegarum sententia respondit, religionis judices Pontifices fuisse, legis Senatum: se & collegas suos de religione statuisse; in Senatu de lege statuturos. Quisque horum, loco sententiam rogatus, multa secundùm causam nostram disputavit. Cùm ad Clodium ventum est, cupiit [14] diem consumere: neque ei finis est factus: sed tamen cùm horas tres ferè dixisset, odio & strepitu Senatûs coactus est aliquando perorare. Cùm fieret senatus-consultum *in* sententiam Marcellini; omnibus [15] præter unum assentientibus, [16] Serranus intercessit. De intercessione statim ambo Consules [17] referre cœperunt. Cùm sententiæ gravissimæ dicerentur; Senatui placere mihi domum restitui, porticum Catuli locari, auctoritatem ordinis ab omnibus magistratibus defendi;

10. *Qui erant senatores*] Iis enim, qui senatores non erant, ingredi senatum non licebat. Et pontificum collegium apparet non fuisse totum ordinis senatorii; cùm pontificiam dignitatem, etiam qui senator non esset, consequi posset: ut in oratione *de Haruſp. resp.* Idem.

11. *Marcellinus*] Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus, ordinis patricii, consul designatus cum L. Marcio Philippo, qui Cæsaris Augusti vitricus fuit. Idem.

12. *Quæsivit, quid essent in decernendo secuti*] Pulchra dicendi ratio, planéque sæculi illius aurei, finem significans. *Quæsivit*, inquit, *quid essent in decernendo secuti*: hoc est, qui sensus, quod consilium, quæ cogitatio fuerit illorum, cùm dixerunt, Videri fine religione partem areæ posse restitui. Videri enim poterant nonnullis, judicasse restitui oportere. Itaque Lucullus ad ea: Pontifices de religione, quod sui fuit officii statuisse: nempe aream, omni religione liberam esse: de lege Clodii constituere, ad Senatum pertinere. Malaspina.

13. *Lucullus*] M. Licinius Lucullus pontifex, consularis, & triumphalis. Manut.

14. *Diem consumere*] Ne senatus-consultum fieret. Licebat enim senatori, & quamdiu vellet, & qua de re vellet, dicere. Gellius lib. IV. cap. 10. Idem.

15. *Præter*] Præter ipsum Clodium. Id.

16. *Serranus*] Sex. Atilius Serranus, Tribunus plebis. Idem.

17. *Referre*] Esset intercessio à republica, nécne. Cùm enim non esse, statuitur: agit senatus cum eo, qui intercessit, ut tollatur intercessio. Idem.

di; [18] si quæ vis esset facta, Senatum existimaturum, ejus operâ factum esse, qui senatus-consulto intercessisset: Serranus pertimuit; & [19] Cornicinus ad suam veterem fabulam rediit: abjectâ togâ se ad generi pedes abjecit. Ille noctem sibi postulavit: non concedebant: reminiscebantur enim [20] Kal. Januariarum. Vix tamen [21] sibi de mea voluntate concessum est. Postridie senatus-consultum factum est id, quod ad te misi. Deinde Consules porticum Catuli restituendam locarunt: [22] illam porticum redemptores statim sunt demoliti libentissimis omnibus. Nobis superficiem ædium Consules de consilii sententia æstimarunt H S vicies; cætera valdè illiberaliter; Tusculanam villam quingentis millibus; Formianum H S ducentis quinquaginta millibus: quæ æstimatio non modò vehementer ab optimo quoque, sed etiam à plebe reprehenditur. Dices, quid igitur causæ fuit? Dicunt illi quidem, pudorem meum; quòd neque negarim, neque vehementius postularim. Sed non est id: nam hoc quidem etiam profuisset. Verùm iidem, mi T. Pomponi, iidem inquam illi, quos ne tu quidem ignoras, qui mihi pennas inciderant, nolunt easdem renasci; sed, ut spero, jam renascuntur. Tu modò ad nos veni, quod vereor ne tardiùs interventu Varronis tui nostríque facias. Quoniam acta quæ

18. *Si quæ vis*] Quo minùs posset Ciceronis domus, Catulíque porticus restitui. IDEM.

19. *Cornicinus ad suam veterem fabulam rediit*] Cn. Oppium significat. Nam Cornicen Oppiorum cognomen fuit: ut apud Livium lib. III. *Ad veterem* autem *fabulam* ideo dicit, quòd etiam antea idem Oppius hunc ipsum generum suum, Kalendis Januariis quo die P. Lentulus cos. retulit de restitutione Ciceronis, intercedentem suppliciter rogarat, ut desisteret: quod tamen non impetravit: ídque omnino causæ fuit, seriùs ut Cicero restitueretur. In oratione *post reditum ad Quirites*, & *pro Sextio*. IDEM.

20. *Kal. Jan.*] Quo die, Lentulo referente, Serranus idem intercesserat: & tanquam soceri precibus commotus, cùm ad deliberandum tum quoque noctem postulasset, postea tamen intercessionem non omisit. IDEM.

21. *Sibi*] Serrano. Et *Sibi*, pro *Illi*. ID.

22. *Illam porticum*] Quæ illa sit, nescio. Libertas non habebat porticum, sed legendum puto pro *porticum*, πόρνην, vel παρτλδον. Quam enim pro statua Libertatis Deæ ibi posuerat Clodius, ea fuerat imago Tanagreæ meretricis. *Pro Domo*, cap. 43. J. F. GRONOVIUS.

23. *Petere posse*] Ego, inquit, in quindecim legatis, quos Pompeius postulavit rei frumentariæ causâ, me legari sum passus, ut mihi sit integrum aut petere Censuram, si Marcellinus & Philippus Coss. designati in proximum annum comitia Censorum habebunt, aut suscipere votivam legationem & liberam voti solvendi causâ ad omnia fana & lucos. POPMA.

24. *Votivam*] Genus liberæ legationis. Vide legem Juliam *de legationibus liberis*, in limine Tomi IV.

quæ sint habes, de reliqua nostra cogitatione cognosce. Ego me à Pompeio legari ita sum passus, ut nullâ re impedirer, quin, si vellem, mihi esset integrum, aut, si comitia Censorum proximi Consules haberent, [23] petere posse, aut [24] votivam legationem sumpsisse propè omnium fanorum, lucorum. Sic enim nostræ rationes postulabant. Sed volui meam potestatem esse vel petendi, vel ineunte æstate exeundi: & interea me esse in oculis civium, de me optimè meritorum, non alienum putavi. Ac forensium quidem rerum hæc nostra consilia sunt, domesticarum autem valdè impedita. Domus ædificatur; scis quo sumptu: quâ molestiâ reficiatur Formianum; quod ego nec relinquere possum, nec videre. Tusculanum [25] proscripsi: suburbano non facilè careo. Amicorum benignitas exhausta est [26] in ea re, quæ nihil habuit præter dedecus. [27] Quod sensisti tu absens; præsentes, quorum studiis ego, & [28] copiis, si esset per [29] meos defensores licitum, facilè essem omnia consecutus. Quo in genere nunc vehementer [30] laboratur. Cætera, quæ me sollicitant, [31] μυστικώτερα sunt. Amamur [32] à fratre, & à filia. Te expectamus.

25. *Proscripsi*] Hoc non reficio, ut Formianum, sed venditurus proscripsi. Proscribit enim domum, aut fundum, aut quidvis hujusmodi, qui divulgato scripto se esse venditurum significat. Hinc Proscripti, quorum nomina in tabula palàm constituta legebantur, ut ad cædem quærerentur, præmio percussori promisso. Manut.

26. *In ea re*] In exilio meo, cùm me suâ pecuniâ sustentarunt. Itaque nunc ab iisdem mutuari non licet. Idem.

27. *Quod sensisti tu absens, præsentes*] Fortasse, *Absens præsensque*. Malaspina. Nihil muto. Sumendum enim. ἀπὸ κοινοῦ, *senserunt*. Nam suprà scripserat, *quod sensisti tu absens*. Bosius. Lambinus divinabat: *præsentes senserunt*. Sed verè monuit Manutius hunc locum esse mendosum. Nihil autem succurrit nunc melius quàm quod conjecit Malaspina. Græv ius.

28. *Copiis*] Alibi *Copiæ* pro divitiis, aut pro exercitu: hîc totum intelligitur, quantumcunque possumus sive auctoritate, sive gratiâ. Manutius.

29. *Meos defensores*] Eos, qui, cùm me absentem defendissent, & ab exilio revocassent, reverso deinde invidere cœperunt; neque in iis rebus, quæ mihi erant propter rei familiaris naufragia necessariæ, eam voluntatem, quam expectaram, præstiterunt. *Fam.* I. 9. Idem.

30. *Laboratur*] Quod in proxima epistola dixit, *In re familiari valdè sumus perturbati*. Et in hac ipsa, *Domesticarum rerum consilia valdè impedita*. Ut eandem sententiam variè ter exprimat. Idem.

31. *Μυστικώτερα*] Secretiora.

32. *A fratre, & à filia*] Non igitur ab uxore, ut ep. sup. & hîc videtur significare. Corradus.

CICERO ATTICO SAL.

3 AVERE te certò scio, cùm scire quid hîc agatur, tum mea à me scire; non quò certiora sint ea, quæ in oculis omnium geruntur, si à me scribantur, quàm cùm ab aliis aut scribuntur tibi, aut nuntiantur; verùm ut perspicias ex meis literis, quo animo ea feram, quæ geruntur: & qui sit hoc tempore aut mentis meæ sensus, aut omnino vitæ status. Armatis hominibus ante diem tertium Non. Novemb.[1] expulsi sunt fabri de area nostra; disturbata porticus Catuli, quæ ex senatus-consulto Consulum locatione reficiebatur, & ad tectum penè pervenerat. Quinti fratris[2] domus primò fracta conjectu lapidum ex area nostra, deinde inflammata jussu Clodii, inspectante urbe, conjectis ignibus, magnâ querelâ & gemitu, non dicam bonorum omnium, qui nescio an ulli sint, sed planè hominum omnium. Ille[3] vehemens ruere: post hunc furorem, nihil nisi cædem inimicorum cogitare; vicatim ambire; servis apertè spem libertatis ostendere. Etenim antea, cùm judicium[4] nolebat, habebat ille quidem[5] difficilem, manifestámque causam,[6] sed tamen causam: id poterat infitiari; poterat in alios derivare; poterat etiam aliquid jure factum defendere. Post has ruinas,

1. *Expulsi*] A Clodianis. MANUTIUS.

2. *Domus*] Quæ erat juncta cum domo Ciceronis & muro tantùm discreta. Ideò Clodiani facilè poterant lapides ex areâ Marci conjicere in domum Quinti. Ep. 4. lib. II. POPMA.

3. *Vehemens*] Lego, *demens*. MURET.

4. *Nolebat*] Cùm lex de reditu Ciceronis lata fuisset, ipséque P. Clodius, studium populi erga illum vidisset: ut comitia impediret, cum gladiatoribus, quos C. frater in ludos funebres comparaverat, impressionem fecit; multósque tum vulneribus, tum cæde multavit. Hujus rei causâ, de vi postulatus à Milone; ne judicium fieret; omni ope contendebat, ut comitia Ædilitia, quorum ipse candidatus erat, antè haberentur, sperans, se, si Ædilis fieret, ut factus fuit, judicium evasurum. Etsi enim nomen ipsius delatum fuerat, Judices tamen sorti nondum erant. Et Metellus Consul, qui Clodio studebat, prætori inhibuerat, ne quod ante sortitionem illam judicium faceret, comitiáque haberi volebat: quæ Milo, quo judicium fieret, obnuntiationibus eximebat. Idque est, quod hac epistolâ scribitur. Historia est apud Dionem, lib. XXXIX. MALASPINA.

5. *Difficilem*] Ad defendendum. CORR.

6. *Decimum*] Decimus & Gellius asseclæ Clodii, homines turpes & infames: de illo meminit *Pro domo*; de hoc *Pro Sextio*, *In Vatinium*, &c. POPMA.

7. *Sed tamen causam*] Erat tamen aliquis quasi angulus excusationis, quò confugeret, cùm posset infitiari a se factum, posset in alios culpam rejicere &c. MANUTIUS.

8. *Designatorem*] Curatoris nomen: unde Horatius, lib. I. epist. 2. *Designatorem decorat lictoribus atris*. MANUTIUS.

9. *Tertii Damionis*] Quis fuerit, nesciunt interpretes; & nescire nobis liceat.

ruinas, incendia, rapinas, desertus à suis, vix jam [7] Decimum [8] designatorem, vix Gellium retinet: servorum consiliis utitur: videt si omnes, quos vult, palàm occiderit, nihilo suam causam difficiliorem, quàm adhuc sit, in judicio futuram. Itaque ante diem tertium Idus Novemb. cùm Sacrâ viâ descenderem, insecutus est me cum suis. Clamor, lapides, fustes, gladii, hæc improvisa omnia. Discessimus *in vestibulum* [9] Tertii Damionis. Qui erant mecum, *facilè operas aditu prohibuerunt.* Ipse occidi potuit. *Sed ego* [10] diætâ curari incipio, chirurgiæ tædet. Ille *omnium vocibus* cùm se non ad judicium, sed ad supplicium præsens trudi videret, omnes Catilinas, [11] Acidinos postea reddidit. Nam Milonis domum, eam quæ [12] Germalo, pridie Idus Novemb. expugnare & incendere ita conatus est, ut palam horâ v. cum scutis homines, eductis gladiis, alios cum accensis facibus adduxerit. Ipse domum P. Syllæ pro castris sibi ad eam impugnationem sumpserat. Tum ex [13] Anniana Milonis domo Q. Flaccus eduxit [14] viros acres; occidit homines ex omni latrocinio Clodiano notissimos: ipsum cupivit; sed ille se [15] in interiorem ædium. Sylla sè in Senatu postridie Idus: domi Clodius: [16] egregius Marcellinus: omnes acres. Metellus [17] calumniâ dicendi tempus exemit, adjuvante [18] Oppio; etiam

10. *Diætâ*] Ab ægrotantibus sumpta translatio. Sensus est: institui me tueri contra meos inimicos moderatione quadam, quâ utens, spero fore, ut huic malo dies quotidie magis medeatur, sicuti solet diæta non rectè se habentibus. Ferro ut res agatur, minimè volo. MAN.

11. *Acidinos*] L. Catilina, & C. Manlius Acidinus, adversùs patriam arma tulerunt. Sallustius, & Cicero. Acidinus autem, Manliorum cognomen fuisse, cognoscitur ex lib. II. de Orat. Velleio, & Fastis. IDEM. Sed in Catilinariis plerique non *Manlium*, sed *Mallium* legunt. Itaque *Acidinos* hîc alii dictum putant de Manlio illo, qui, cùm regnum appeteret, de Saxo Tarpeio fuit præcipitatus.

12. *Germalo*] Qui Romæ mons fuit. MAN.

13. *Anniana*] Domo Miloni à C. Annio avo materno cum reliqua hereditate relictâ. Ascon. in orat. pro Mil. CORR.

14. *Viros*] *Eduxit viros, & occidit homines*, non sine artificio dixit, ut, cujusmodi fuerint utriusque copiæ, ex nominibus appareat. MANUTIUS.

15. *In interiorem*] Alii, *in interiora*: alii, *in interiorem partem*. Aperta sententia. Clodius cùm à Q. Flacco peteretur, se in interiorem partem ædium abdidit, aut propripuit: Sylla postridiè Idus in Senatu questus est de vi, quòd Clodius domum ipsius occupasset, Clodius ipse domi se continuit. POPMA.

16. *Egregius*] Marcellinus Cos. designatus se virum egregium præbuit adversùs Clodium; omnes etiam Senatores acres in illum fuerunt. IDEM.

17. *Calumniâ*] Cùm astutiâ uteretur, multâque malitiosus injiceret, ut dicendi tempus eximeret, ne senatus-consultum contra Clodium fieri posset. MANUT.

18. *Oppio*] Potiùs crederem legendum, *Appio*:

hercule [19] familiari tuo; de cujus [20] constantia, & virtute tuæ verissimæ literæ. Sextius [21] furere. [22] Ille postea, si comitia [23] sua non fierent, urbi minari. Propositâ Marcellini sententiâ, quam ille de scripto ita dixerat, ut totam nostram causam areæ, incendiorum, periculi mei, [24] judicio complecteretur, eáque omnia [25] comitiis anteferret: proscripsit, se per omnes dies comitiales de cælo servaturum. Conciones turbulentæ Metelli, temerariæ Appii, furiosissimæ [26] Publii. [27] Hæc tamen summa; nisi Milo in [28] campum obnuntiasset, comitia futura. Ante diem XII Kal. Decemb. Milo mediâ nocte magnâ manu in campum venit. Clodius cùm haberet fugitivorum [29] delectas copias, in campum ire non est ausus. Milo permansit ad meridiem mirificâ hominum lætitiâ, summa cum gloria. [30] Contentio [31] fratrum trium turpis, fracta vis, contemptus furor. Metellus tamen postulat, ut sibi postero die in foro obnuntietur: nihil esse quòd in campum nocte veniretur; se horâ primâ in comitio fore. Itaque ante diem XI Kalend. in comitium Milo de nocte venit. Metellus cum prima luce [32] furtim in campum itineribus propè deviis currebat: assequitur inter lucos hominem Milo;

Appio: qui erat in senatu; & frater Clodii, ut adjuvare vellet; & prætor, ut facilè posset. IDEM.

19. *Familiari tuo*] Hortensium notat, qui valde fuit familiaris Attico, ut refert Cornelius Nepos in vitâ Attici. *Constantiam* autem scripsit εἰρονικῶς, cùm ejus levitatem argueret: queritur enim alio loco se summâ simulatione amoris insidiosissimè tractatum fuisse ab illo. BOSIUS.

20. *Constantia, virtute*] Sine copulâ, usitatè, ut hîc epist. 9. lib. XI. & Fam. ep. 24. & 28. lib. XIII. MANUT. Faernus vocem *virtute* mutabat in *viri tuæ*, legebátque translatâ interpunctione, *de cujus constantiâ viri, tuæ verissimæ literæ*. Pantagathus autem pro *virtute* corrigebat *nutante*, & *Sextius* nomen mutabat in vocem *fratris*: atque ita totum locum legebat: *De cujus constantiâ nutante verissimæ literæ fratris. Furere ille posteà.* URSINUS.

21. *Furere*] Homo iracundus; quem etiam notat morositatis vitio in epist. quadam ad Q. fratrem. Et, *Furere*, quòd à Metello diem eximi videret. MANUTIUS.

22. *Ille*] P. Clodius. IDEM.

23. *Sua*] Quibus ædilitatem petiturus erat, cùm candidatus esset. IDEM.

24. *Judicio*] Quod de vi Clodiana constituendum esset. CORRADUS.

25. *Comitiis anteferret*] Cùm diceret judicium de vi priùs esse faciendum, quàm comitia haberentur: quod tamen factum non est: itaque Clodius judicium effugit, comitiis creatus ædilis. MANUTIUS.

26. *Publii*] Clodii.

27. *Hæc tamen summa*] Tamen, inquit, Metellus consul, neglectâ illâ futuri per comitiales dies auspicii proscriptione, comitia habuisset, nisi Milo in campum ipsum cum magna manu, ut, si opus esset, vim vi repelleret, profectus obnuntiasset. Laudat igitur Milonem magis etiam, quàm Sextium. Nam ille tantùm proscripserat, se de cælo servaturum; Milo autem ad religionem auspicii, quam sperni videbat, fortitudinem adjunxit. MAN.

28. *Campum*] *Campo* est in antiquo. URSINUS. *In campum*, me quidem non offendit; cùm etiam verbo, *Nuntiare*, quandóque

Milo; obnuntiat. Ille se recepit, magno & turpi Q. Flacci convicio. Ante diem x Kal. nundinæ. Concio biduo nulla. Ante diem VIII Kal. hæc ego scribebam hora noctis nonâ. Milo campum jam tenebat. [33] Marcellus candidatus ita stertebat, ut ego vicinus audirem. Clodii vestibulum vacuum sanè mihi nuntiabatur: [34] pauci pannosi sine laterna. Meo consilio omnia illi fieri querebantur, ignari quantum in illo [35] heroe esset animi, quantum etiam consilii. Miranda virtus est. Nova quædam divina mitto: sed hæc summa est. Comitia fore non arbitror. Reum Publium, nisi antè occisus erit, fore à Milone puto. Si se inter viam obtulerit, occisum iri ab ipso Milone video. Non dubitat facere; præ se fert; [36] casum illum nostrum non extimescit. Nunquam enim cujusquam invidi, & perfidi consilio est usus: nec [37] inerti nobili crediturus. Nos animo duntaxat vigemus: etiam magis quàm cùm florebamus: re familiari comminuti sumus, Quinti fratris tamen liberalitati pro facultatibus nostris, ne omnino exhaustus esset, illo recusante, subsidiis amicorum [38] respondemus. Quid consilii de omni nostro statu capiamus, te absente nescimus. Quare appropera.

dóque veteres eadem ratione uterentur & in loco, & ad locum; ut, *Ponere in gratia*, & *in gratiam*; *Esse in potestate*, & *in potestatem*. Quod Gellius observavit lib. I. cap. 7. Sic, *Nuntiatum Romam esse*, dicit Cicero in epist. ad D. Brutum, *Nuntiatur domum*, in Verrem, & Plautus in Truc. *Magna nuntias ad me gaudia.* Man.

29. *Delectas*] Ita Victorius, & Bosius: sed alii, *dejectas*, vel *deletas*.

30. *Contentio*] Ut contra omnes ferè suscepta; & suscepta, ut Clodius judicium effugeret: quo nihil in libera civitate turpius esse potest. Corradus.

31. *Fratrum trium*] Metellus Appio, & Publio Clodiis frater erat patruelis. Man.

32. *Furtim*] Ut Milonem falleret, cui dixerat se in Comitio fore; putans, antè se comitia in campo habiturum, quàm Milo posset obnuntiare. Idem.

33. *Marcellus candidatus*] Ædilitius; qui tamen stertens parùm laborare de comitiis videbatur. Hunc autem C. Marcellum potiùs, quàm M. puto fuisse. Nam Marcus, qui consul fuit cum Ser. Sulpicio quadriennio pòst, ædilis esse non potuit Marcellino, & Philippo coss. cùm ædilitas à consulatu quinquennio distet; ut in libro de magistratibus ostendemus. Idem.

34. *Pauci*] Hîc mendæ suspicio. Victorium sequimur. Gruterus ex Bosio, *paucis pannosis linea laterna*. Vide an non magis appositè ad hunc locum scribatur: *Paucis pannosis una laterna*. Quod & vilitatem & paucitatem hominum ostendit. Grævius.

35. *Heroe*] Milone. Ut ep. 14. l. I. Corr.

36. *Casum*] Exilii calamitatem: in quam incidi, quia pessimos cives occideram. Man.

37. *Inerti nobili*] Notat eos, quos à se defendendo metus averterat. Fam. lib. I. epist. 9. Idem.

38. *Respondemus*] Sensus est, se quæ Q. Fr. in eum contulerit reddere velle pro sua copia, ne & ipse frater egeat, & in hoc uti subsidiis amicorum, hoc est, mutuam petere ab amicis pecuniam, quam det fratri, quamvis eam recuset. *Respondere* dicuntur eleganter debitores, qui ad diem solvunt. Vide Gronov. lib. II. Observat. cap. 4. Grævius.

CICERO ATTICO SAL.

4 PERJUCUNDUS mihi [1] Cincius fuit ante diem tertium Kal. Febr. ante lucem. Dixit enim mihi te esse in Italia, seséque ad te pueros mittere: quos sine meis literis ire nolui: non quo haberem, quod tibi, præsertim jam propè præsenti, scriberem; sed ut hoc ipsum significarem, mihi tuum adventum suavissimum, expectatissimúmque esse. Quare advola ad nos eo animo, ut nos ames, te amari scias. Cætera coràm agemus. Hæc properantes scripsimus. Quo die venies, utique cum tuis apud me sis. [2] Perbellè feceris, si ad nos veneris. Offendes [3] designationem [4] Tyrannionis mirificam in librorum meorum bibliotheca; quorum reliquiæ multò meliores sunt, quàm putaram. Etiam vellem mihi mittas de tuis librariolis duos aliquos, quibus Tyrannio utatur [5] glutinatoribus, ad cætera administris: iisque imperes, ut sumant membranulam, ex qua indices fiant, quos vos Græci, ut opinor, [6] συλλάβας appellatis. Sed

1. *Cincius*] Qui Romæ Attici negotia curabat. MANUTIUS.

2. *Perbellè feceris*] Hîc videtur esse principium alterius epistolæ. Nam Cicero primâ epistolâ Romæ, extremâ ruri videtur esse, & Atticus contrà: nisi Romæ domi suæ velit esse, quamvis absit ipse. CORRADUS. Cicero tum erat Antii. Manutius itaque hoc ipsum, *apud me*, sic interpretatur: *Domi meæ cœnato, etiamsi ego absim.* Sed facit cum Corrado Mongaltus noster, cui lubens assentior.

3. *Designationem*] Ordinem, quo bibliotheca mea disponatur. MANUTIUS.

4. *Tyrannionis*] Grammatici. Vide ep. 4. lib. II. ad Q. fratrem. IDEM.

5. *Glutinatoribus*] Glutinatoribus non solùm utebantur ad voluminum terga exornanda, sed ad chartas membranásve conglutinandas ut in longum possent extendi. In volumine enim chartaceo chartæ chartis adtexebantur in longitudinem, ut volvi possent in rutulum. In codicibus plures tabellæ ac paginæ, cujuscunque essent materiæ, aliæ aliis superstruebantur, eáque massa paginarum, quæ quin glutine quoque fuerint compactæ non est dubitandum, dicebatur codex, cujus forma eadem fuit quæ nostrorum librorum, qui ex nostrate charta compinguntur. SALMASIUS, de Usurarum modo, cap. 10. quem vide pluribus de hac re disputantem.

6. Συλλάβας] Legendum est, σιλλύβας. Membranulæ enim quibus indices librorum inscribebantur, σίλλυβοι sunt dicti. Hesych. Σίλλυβον, ἀκρόνυχον, ἀόρον ἢ εὐώδιμόν τι ἢ τὸ τῶν βιβλίων δέρμα. Dicuntur aliter πιττάκια, illi indices, sive membranæ, quibus inscribebantur nomina auctorum, & quæ voluminibus adglutinabantur. Σίλλυβοι & σίλλυβα sunt etiam pelles, quas oræ vestium adsuebant, ut ex Polluce, Hesychio & Eustathio docuit Salmasius ad Historiam Augustam. Sicut autem pelles oris vestium adsuebantur, sic etiam pelliculæ, seu membranulæ cum nominibus scriptorum & operum affigebantur tergis voluminum & codicum. Hinc etiam dicit in epistola sequente & 8, bibliothecam suam talibus sillybis illustratam & pictam fuisse ab his librariis. Nam & in illis sic legendum est, non *sittybis*, (aut *syllabis*) ut libri præ se ferunt. GRÆVIUS.

Sed hæc, si tibi erit commodum. Ipse verò utique fac venias, si potes in his locis adhæresscere, & [7] Piliam adducere. Ita enim & æquum est, & cupit Tullia. Medius fidius næ tu emisti [8] locum præclarum. Gladiatores audio pugnare mirificè. Si locare voluisses, duobus [9] his muneribus [10] liberasses. Sed hæc posteriùs. Tu fac venias, & de librariis, si me amas, diligenter.

7. *Piliam*] Piliam nondum Atticus duxerat uxorem. *Nuptias enim celebravit pridie Id. Febr. ut est in epistola* 3. lib. II. ad Q. fratrem. Hæc autem scripta III. *Kal. Febr. Accipiamus igitur sic*, nuptias quidem nondum celebratas, sed desponsatam tamen fuisse. Manut. Si potes adducere, si tibi concedunt parentes, ut eam adducas, quam nondum duxeris. Corr.

8. *Locum*] Puto vocem, *locum*, vitiosè Latinis literis scribi, cùm Græca sit, λόχον: quo nomine significatur globus sedecim militum, ut tradit Ælianus περὶ τάξεων: quasi innuat Cicero Atticum emisse octo paria gladiatorum, qui mirificè pugnarent. Bosius. Non video cur gladiatores emerit Atticus, qui cùm honores populi non affectaret, nec delinire populum muneribus necesse habuit. *Locum* igitur intelligo ad spectandum gladiatoribus. Cùm autem proximis diebus à nescio quo muneratore dati essent gladiatores eximii, qui magno concursu & voluptate hominum spectarentur, scribit Attico Cicero, si locum illum locare voluisset, potuisse ex locario tantum reficere, quantum pro eo adhuc debeat. J. F. Gronovius. Censeo locum emisse, in quo exercerentur gladiatores: Atticum & antè habuisse gladiatores, quos per lanistas exercuerat, non tam ut ipse munus ederet, quàm ut aut illis locandis, aut vendendis, rem faceret, cui tuendæ augendæque semper studuit. Vide vitam ejus à C. Nepote scriptam. Grævius.

9. *His*] Proximis, quibus populo munus gladiatorium datum est. Manutius.

10. *Liberasses*] Tanti locasses, quanti emeras. Idem.

Cicero Attico Sal.

Ain' tu? an me existimas ab ullo malle mea legi, probarique, quàm à te? cur igitur cuiquam misi priùs? [1] Urgebar ab eo, ad quem misi, & non habebam exemplar. Quid? etiam (dudum enim [2] circumrodo, quod devorandum est) subturpicula mihi videbatur esse [3] παλινῳδία. Sed valeant recta, vera, honesta consilia. Non est credibile, quæ sit perfidia [4] in istis principibus, ut volunt esse, & ut essent, si quicquam haberent 5

1. *Urgebar ab eo*] A Cæsare, ad quem ut se cum eo conjungeret, librum vel epistolam miserat; in quo ipsius acta laudabat, quæ antea vituperaverat. Popma.

2. *Circumrodo*] Paulatim quasi molior. Μικροφορῶ, à canibus, qui circumrodunt, quod postea devorant. Corradus.

3. Παλινῳδία] Recantatio, quâ quos adhuc laudavi, vituperarem, & contrà. Id.

4. *In istis*] Intelligit maximè Bibulum, Catonem, Domitium, Curionem, Cæsaris inimicos. Manutius.

berent fidei. Senseram, noram, inductus, relictus, projectus ab iis: tamen hoc erat in animo, ut [5] cum iis in Republica consentirem. Iidem erant, qui fuerant. Vix aliquando te auctore resipivi. Dices, ea te monuisse, suasisse, quæ facerem; [6] non etiam ut scriberem. Ego mehercule mihi necessitatem volui imponere hujus novæ conjunctionis; ne quà mihi liceret labi ad illos, qui etiam tum, cùm misereri mei debent, non desinunt invidere. Sed tamen [7] modici fuimus [8] ὑποθέσεσι, ut scripsi. Erimus uberiores, si & ille libenter accipiet, & hi subringentur, qui [9] villam me molestè ferunt habere, quæ Catuli fuerat, à Vettio me emisse non cogitant; qui domum negant oportuisse me ædificare, vendere aiunt oportuisse. [10] Sed quid ad hoc? si quibus sententiis dixi, quod & ipsi probarent, lætati sunt tamen me contra Pompeii voluntatem dixisse? Sed quoniam qui nihil possunt, ii me nolunt amare; demus operam ut ab iis qui possunt, diligamur. Dices: vellem jampridem. Scio te voluisse; & me asinum germanum fuisse. Sed jam tempus est me ipsum à me amari, quando ab illis nullo modo possum. Domum meam quòd crebrò [11] invisis, est mihi valdè gratum. [12] Viaticum Crassipes præripit. Tu de via rectà in hortos.

5. *Cum iis in Republica consentirem*] Post reditum, ut antè consenseram. CORRAD.

6. *Non etiam ut scriberem*] Monuisti tu quidem, ut ea facerem, quæ Cæsaris animum non offenderent, atque etiam quæ delectarent; non tamen, ut etiam scriptis eum laudarem: quod ego nunc, à te non admonitus, meâ sponte feci. MAN.

7. *Modici fuimus ὑποθέσεσι*] Modicè laudavimus: uberem ὑπόθεσιν non cepimus, sed ejusmodi, ut modicè laudaremus. ID.

8. ὑποθέσεσι] Argumento.

9. *Villam*] Ægrè ferunt, inquit, atque indignum putant, me hominem Arpinatem quidem, sed tamen Consularem, nobilissimi viri Catuli villam habere: nec cogitant Vettii fuisse hominis mancipis ac publicani, de quo ego emerim. MALASP.

10. *Sed quid ad hoc?*] Quanquam ea quæ modò narravi de villa & domo, satis supérque indicant illorum malum in me animum, exigua tamen sunt, & propè contemnenda præ ea re quam mox referam. Quia enim à Pompeio aliquando dissentiebam in dicenda in Senatu sententia, quo fiebat ut is mihi quodammodo infensus esset, quamvis illi non probarent quæ à Pompeio dicerentur, sed contrà mecum sentirent, tamen lætabantur me ea de causa incurrere in odium Pompeii. Quæ lætitia non aliunde proficiscebatur, quàm ex malo, & invido illorum animo. Præpositio, *ad*, hîc comparationem significat, ut apud Terentium Eunucho, *éstne ut fertur forma? P. sanè.* CH. *at nihil ad nostram hanc:* id est, præ nostrâ hâc. BOS.

11. *Invisis*] Quid si, *Invises?* ut sit, Te invisurum scribis cùm eris Romæ. Nam certè nondum Atticus Romam pervenerat. Quod illud declarat proximè subscriptum: *Tu de via rectà in hortos.* MANUT.

12. *Viaticum Crassipes præripit*] Cicero; post mortem L. Pisonis, cognomento Frugi, Tulliolam Furio Crassipedi, Marcellino, & Philippo coss. collocavit. Ei pro dote pecunia erat numeranda: ut Ciceroni

hortos.

tos. [13] Videtur commodius ad te, postridie scilicet: quid enim tua? sed viderimus. Bibliothecam mihi tui [14] pinxerunt constructione & [15] sittybis. Eos velim laudes.

ad votivam legationem, de qua obeunda cogitabat, viaticum præriperetur. Nam, quòd villas invisere vellet; quoniam id paucorum dierum viaticum futurum erat, ut in ep. 4. lib. II. ad fratrem, ideò potiùs accipiendum videtur de viatico legationis, quo quidem opus esset haud paulo majore in multorum mensium peregrinationem. Idem.

13. *Videtur*] Distingue sic: *Tu de via recta in hortos. Videtur commodius ad te. Postridie scilicet. Quid enim tua?* Explana sic: Commodius domum tuam pergere. Id scilicet postridie facies. Quid enim tantum in uno die? quid tua, citiùs seriùs uno die? Manutius. Omnino aliter Mongaltus, *Tu, Attice, in hortos Crassipedis veni. Id mihi quidem erit commodius. Quid enim tuâ? Postridie ad te ibimus. Sed viderimus.* Atticus scilicet Romæ tunc erat: Cicero Antii, unde mox rediturus; & antè in hortos Crassipedis, quàm in urbem. Hæc ille.

14. *Pinxerunt constructione, & sittybis*] Id est, in re utraque artificiosè variaverunt & ornaverunt eam: tum in pegmatis, ubi est loculorum librariorum constructio; tum in libris ipsis, quorum sittybas curaverunt elegantissimè. Sunt enim *sittybæ*, scortea librorum integumenta, & vestes è corio, σιττὰι ἀπὸ σίττων, à capris, (quarum adhibebantur pelles) antiquo nomine facto, quo caprarii in pecudibus agendis utebantur. Junius.

15. *Syllybis*] Legendum *sillybis* ostendi ad ep. 4. hujus libri. Grævius.

Cicero Attico Sal.

DE [1] Lentulo scilicet sic fero, ut debeo. Virum bonum, & magnum hominem, & in summa magnitudine animi multa humanitate temperatum perdidimus; nósque malo solatio, sed non nullo tamen, consolamur, quòd ipsius vicem minimè dolemus, [2] non ut Saufeius & vestri; immo hercule quia sic amabat patriam, ut mihi aliquo deorum beneficio videatur ex ejus incendio esse ereptus. Nam quid fœdius nostrâ vitâ? præcipuè meâ? nam tu quidem, etsi es naturâ [3] πολιτικὸς, tamen nullam habes [4] propriam servitutem: [5] communi frueris nomine. 6

1. *Lentulo*] L. Lentulo, flamine Martiale, de quo ep. 24. lib. II. & de Haruspicum resp. Manutius.

2. *Non ut Saufeius, & vestri*] Non ideo vicem ipsius minimè dolemus, quia Saufeium, & reliquos Epicureos sequamur, qui nihil dolere soliti sunt, nisi quod ad ipsos pertinet, aliena non curant; sed mehercule, quia minimè dolendum ejus interitu videtur, qui tanquam deorum beneficio, cùm patria civilibus discordiis arderet, ex ejus incendio videatur esse ereptus. *Saufeius, & vestri*; quia & Saufeius, & Atticus Epicurei. Idem.

3. Πολιτικὸς] Reip. deditus.

4. *Propriam servitutem*] Servi omnes videmur: ita nobis erepta libertas est vitio civium improborum; in hac servitute, quæ communis omnibus est, tu quoque vivis; ego autem habeo propriam, & præcipuam, qualem præterea nemo habet. Id.

5. *Communi frueris nomine*] Non propriam,

mine. Ego verò, qui, si loquor de Republica quod oportet, insanus; si quod opus est, servus existimor; si taceo, oppressus & captus; quo dolore esse debeo? quo sum scilicet, hoc etiam acriore, quòd ne dolere quidem possum, ut non ingratus videar. Quid si cessare libeat, & in otii portum confugere? [6] Nequicquam. [7] Immo etiam in bellum & in castra. Ergo erimus [8] ὀπαδοὶ, qui ταγοὶ esse noluimus? Sic faciendum est. Tibi enim ipsi, cui utinam semper paruissem, sic video placere. [9] Reliqui est, Σπάρταν ἔλαχες, ταύταν κόσμει. Non mehercule possum; & [10] Philoxeno ignosco, qui reduci in carcerem maluit. [11] Veruntamen id ipsum mecum in his locis commentor, ut [12] ista [13] improbem; idque tu, cùm unà erimus, confirmabis. A te literas crebrò ad me scribi video; sed omnes uno tempore accepi. Quæ res etiam auxit dolorem meum. Casu

priam, sed communem servis servitutem. Hoc videtur significare: sed, verba num vacent mendo, haud satis scio. IDEM.

6. *Nequicquam*] Frustrà, inquit, libeat in otium secedere, ut non ingratus videar erga eos, quorum studio, & operâ evocatus sum ab exilio. Nam ii meo aliquo publico munere, & officio sibi volunt satisfieri. Itaque ut ingrati animi vitium effugiam, vel eorum gratiâ, versandum mihi est in Republica. BOSIUS.

7. *Immo etiam in bellum*] Legendum cum interrogatione. Et repetendum ἀπὶ κοινῶ, *si libeat*, & extrinsecus assumendum verbum, *sequi*, aut *comitari*, quod assectatoris est. Quid, si libeat, inquit, Pompeium & Cæsarem sequi etiam in bellum, & in castra? Huic verò interrogationi ita respondet, quasi turpe existimet eum, hoc est, se, qui dux esse noluerit, alios in militia assectari. IDEM.

8. Ὀπαδοὶ] Assectæ. Ταγοὶ, duces.

9. *Reliqui est*] Subintellige, Hoc quod dicam, ut *quam Spartam nactus sum, ornem*: id est, ut quando me cum Cæsare, & Pompeio conjunxi, ornem eos, & tuear, quibus rebus possim. Hoc quidem reliquum est: sed ego, ut faciam, à me impetrare non possum: ægrè enim adducor, ut à Republica desciscam, cujus illi rationibus privatas opes anteponunt. MAN.

10. *Philoxeno*] Qui, Dionysii tyranni versus quia liberè improbabat, in carcerem Lautumias conjectus est: deinde eductus, cùm idem Dionysius alios item versus ei legendos tradidisset, opinatus fore, ut metu carceris probaret; sententiam non mutavit, sed, versibus lectis, demisso capite, ultro ad Lautumias tacitus iter convertit. Cùmque Dionysius ad abeuntem clamasset, Quò, Philoxene? Ad Lautumias, inquit: ut intelligeret tyrannus, ab eo versus non probari. Diodorus Siculus, Stobæus, Lucianus, Athenæus lib. I. & interpres Aristophanis, in Pluto. IDEM.

11. *Veruntamen*] Hæc dictio non semper habet adversandi vim, sed interdum concludendi, ut hoc loco, quasi dicat: Sed, ne longior sim, ne te multis teneam, ut indicem tibi animum meum, ego nunc mecum ipse rationem quæro, quâ ista improbem. IDEM.

12. *Ista*] Istorum acta, quæ ad tyrannidem spectant. Et dixit, *Commentor*, quia rationem quæreret, quâ, neque se illa probare, ostenderet, & Cæsarem tamen, ac Pompeium haud magnopere offenderet. Quæ autem erat hæc ratio? vel ut scriberet de optima Republica, quod fecit paulò pòst; quibus in libris, quod esse debeat optimi civis officium, cùm ostenderet, satis indicabat, acta se Cæsaris, & Pompeii

non

ſu enim trinas antè legeram, quibus meliuſculè Lentulo eſſe ſcriptum erat: ecce quartæ [14] fulmen. Sed ille, ut ſcripſi, non miſer; nos verò [15] ferrei. Quòd me admones ut ſcribam [16] illa Hortenſiana, in alia incidi, non immemor iſtius mandati tui. Sed mehercule [17] incipiendo refugi; ne, [18] quòd videor ſtultè illius amici intemperiem non tuliſſe, rurſus ſtultè injuriam illius faciam illuſtrem, ſi quid ſcripſero; & ſimul ne [19] βαθύτης mea, quæ in agendo apparuit, in ſcribendo ſit [20] oculatior; & aliquid ſatisfactio levitatis habere videatur. Sed viderimus. Tu modò quàm ſæpiſſimè ad me aliquid. Epiſtolam, [21] Lucceio nunc quam miſi, quâ meas res ut ſcribat rogo, fac ut ab eo ſumas: valdè bella eſt: eúmque ut approperet, adhorteris: &, quòd mihi ſe ita facturum reſcripſit, agas gratias. Domum noſtram, quoad poteris, inviſas. Veſtorio aliquid ſignifices: valdè enim eſt in me liberalis.

non probare: vel ut ab urbe abeſſet; ut abſentiæ ſuæ cauſam eſſe conſtaret, quòd ea, quæ tum agerentur, non probaret. Idem.

13. *Improbem*] Quæ ſit Ciceronis ſententia, declarat ea quæ proximè antecedit, Manutii annotatio. Sed voluerat legi Malaſpina, *probem*: quod recepit Lambinus, ac tuetur J. F. Gronovius. Videant Critici.

14. *Fulmen*] Quibus, ut fulmine, ſum ictus, quia Lentuli obitum, aut certè deſperatam ſalutem ſignificarent. Manut.

15. *Ferrei*] Manifeſtò comprehenditur, hîc *Servi*, non *Ferrei* legendum eſſe. Victorius. Quamvis receperint emendationem Victorii Manutius & M. Brutus, hanc tamen ipſe Victorius non auſus fuit recipere. Grævius.

16. *Illa Hortenſiana*] Videtur intelligere Hortenſium librum de philoſophia, quem poſtea ſcripſit. Manutius.

17. *Incipiendo*] Cùm jam aggreſſus eſſem ſcribere illa Hortenſiana, revocavi me, &, quod inſtitueram, abjeci; ne, cùm videar injuriam Hortenſii, quæ tamen non graviſſima fuerat, parum ſapienter tuliſſe, rurſus in eodem illuſtrando parum ſapiens haberi poſſim. Neque enim ſapientis eſt, cui antea maximè ſuccenſueris, eundem paulò pòſt maximè laudare. Idem.

18. *Quod videor*] Videbatur Cicero ſtultè feciſſe, quòd in quadam cauſa tacitè non tulerat intemperiem Hortenſii, ſed ei objecerat injuriam ſibi immeritò illatam. Bosius.

19. *Βαθύτης mea*] Βαθύτητα vocat taciturnitatem, & occultum aliqua de re animi ſenſum, ſumptâ tranſlatione à puteis, & aliis locis altis, in quibus demerſa ita latent, ut nemini appareant. Idem. Βαθύτης non eſt taciturnitas; ſed ſingularis quædam prudentia intelligitur. Salluſtio, *altitudo ingenii* vocatur, ut docet Turneb. III. 15. βαθὺς διανοίας Themiſtio, Quintil. declam. *profundæ mentis conſilia*. Polyp. βαθύτης τῆς ψυχῆς. Nec multo aliter *altitudo animi*. Cic. hîc & ep. 10. lib. V. *Itaque admirabere meam βαθύτητα, cùm ſalvi redierimus*. Aliter tamen VI, ep. 1. *Quòd meam βαθύτητα in Appio tibi, libertatem etiam in Bruto probo, vehementer gaudeo*. Is. Casaub. Vide Fr. Odinum in Offic. I. 25. Tomo noſtro III. *pag.* 292. *not.* 91.

20. *Oculatior*] Caſtigavi, *oculatior*, auctore Decurtato, cùm antea legeretur, *occultior*, repugnante ſententiâ. Oculatus hic qui omnium oculis patet, quo ſignificatu Plinius locum oculatiſſimum vocavit. Bosius.

21. *Lucceio*] Fam. lib. V. epiſt. 12.

CICERO ATTICO SAL.

7 NIHIL [1] εὐκαιρότερον epistolâ tuâ, quæ me sollicitum [2] de Quinto nostro, puero optimo, valdè levavit. Venerat horis duabus antè Chærippus; mera monstra nuntiarat. [3] De Apollonio quod scribis; [4] qui illi Dii irati, homini Græco, qui [5] conturbare quidem putat sibi licere; quod equitibus Romanis. Nam [6] Terentius suo jure. [7] De Metello, [8] οὐχ ὅσιον φθιμένοισιν. Sed tamen multis annis civis nemo erat mortuus, [9] qui quidem... [10] Tibi nummi meo periculo sint. [11] Quid enim vereris, quemcunque heredem fecit? nisi Publium fecit. Verùm, fecit non improbè; quanquam fuit ipse. Quare in hoc [12] thecam nummariam non retexeris: in aliis eris cautior. Mea mandata

1. Εὐκαιρότερον] Opportunius.

2. *De Quinto*] Q. fratris filio. CORRAD.

3. *De Apollonio*] P. Crassi, ut arbitror, liberto. Ep. 16. lib. XIII. Fam. IDEM.

4. *Qui illi Dii*] Formula malè precandi, in qua omittitur verbum *Sint*, & *Qui* ponitur pro *Utinam*, ut in simili imprecatione dixit Terentius Phorm. *Qui illum Dii omnes perduint.* Plautus Trinummo, *Qui istum Dii perdant.* POPMA.

5. *Conturbare*] Est, omissis veteribus creditoribus, satisfacere iis, qui posteriùs crediderunt. MANUT. *Conturbare*, quantùm ex Jurisconsultorum verbis possum judicare, est accipere, & non reddere: hoc est, omnino quasi decoquere. CORRADUS. Est autem elliptica locutio: plena enim est *Conturbare rationes, rem* &c. Terent. Eun. V. 3. 29. *Ita conturbasti mihi rationes omnes.* Qui enim non sunt solvendo, neque se extricare nominibus possunt & ære alieno, illi conturbant, inquit Turnebus, quem vide *Adverss.* IV. 15.

6. *Terentius*] P. Terentius Hispo. Ep. 10. l. XI. & ep. 65. l. XIII. Fam. CORR.

7. *De Metello*] Quisnam è Metellis? Hærent interpretes. Corradus & Mongaltus Q. Metellum Nepotem significari putant: Manutius verò, Metellum Creticum.

8. Οὐχ ὅσιον] *Pium non est, mortuis insultare.* Odyss. X. 412.

9. *Qui quidem*] Est ἀποσιώπησις, qua Cicero aliis cogitandum relinquit, quid ipse sentiat de Metello, ne, si fortè quod in animo habebat expromeret, hominem mortuum maledictis incessere videretur. Innuit verò improbum virum fuisse. Bos.

10. *Tibi nummi meo periculo sint*] Εἰρωνικῶς. Indicat enim nullam spem esse eorum nummorum recuperandorum. Ideò mox subjicit, *in hoc thecam nummariam ne retexeris.* IDEM.

11. *Quid enim vereris*] Sensus est, Quid vereris, quemcunque Metellus heredem fecit, ne is scilicet hereditatem non cernat, quòd eam damnosam existimet, nisi fortè Publium heredem fecit? non enim verendum est, sed pro certo habendum, neminem eam hereditatem aditurum præter Clodium; qui ære alieno cùm totus sit obrutus, nullam quantumvis damnosam repudiaturus est hereditatem. Veruntamen improbè non fecit Metellus, quòd affinem suum heredem fecit, quem sciebat certò hereditatem suam aditurum. Itaque hujus rei causâ ne thecam nummariam retexeris, id est, aperieris, ut in eam nummos indas tibi debitos à Metello. Ii enim tibi perierunt. IDEM.

12. *Thecam nummariam*] Proverbium est, *thecam nummariam non retexeris.* Sportulam vimineam intelligit, quæ si fuit angustior, videtur potuisse retexi. Is. CASAUBONUS.

data de domo curabis: [13] præsidia locabis: Milonem admonebis. Arpinatium fremitus est incredibilis [14] de Laterio. Quid quæris? equidem dolui. [15] Ὁ δὲ οὐκ ἐμπάζετο μύθων. Quod superest, etiam puerum Ciceronem curabis, & amabis, ut facis.

13. *Præsidia*] Ne, dum ædificatur, impetum aliquem Clodius faciat. Manutius. P. Victorius ex conjectura censebat emendandum *prædia*, sed *nihil tamen in sua editione immutavit, nec immutandum censuit. Malè Bosius & Gruterus receperunt Victorii conjecturam.* Græv. Idem tamen, *altero Tomo extremo*, ubi *addenda & corrigenda* proponit, in contextu scribi jubet *prædia*, Mureto quoque, inquit, hanc lectionem approbante. Quamobrem ergo, si de locandis *prædiis* agitur, Milonem admonitum velit, ego non video. At video cur ille admoneatur, si locanda sint *præsidia*: conductas enim operas habebat. Olivet.

14. *De Laterio*] Laterium erat villa Quinti Ciceronis in Arpinati, quam ædificiis, aquæductibus & viis ornabat, ut constat ex Epistola prima lib. III. ad eundem. Sed, ut videtur, Arpinates vicinos suos hac re offendebat, quod Marcus frater dolebat. Ille verò non curabat sermones illorum. Popma.

15. Ὁ δ' οὐκ] Hic verò non curabat quæ dicebantur. *Odyss.* A'. 271. 305.

Cicero Attico Sal.

MULTA me in epistolâ tuâ delectarunt, sed nihil magis, quàm patina [1] tyrotarichi. [2] Nam de rauduſculo, quod scribis, [3] μήπω μέγαν εἴπῃς, πρὶν τελευτήσαντ' ἰδῆς. Ædificati tibi in agris [4] nihil reperio. [5] In oppido est quiddam, de quo est dubium sítne venale; ac proximum quidem nostris ædibus. Hoc 8

A a 3 scito,

1. *Tyrotarichi*] Videtur Atticus, iis quæ de tyrotaricho, & de rauduſculo scripserat, notasse miram Ciceronis parsimoniam, quâ grande æs alienum, quod rebus suis adversis conflaverat, ita minuerat, ut id modicum jam esset. Nam rauduſculum est modicum æs. Tyrotarichus autem genus erat opsonii vilioris, rusticis familiare, quod caseo, & salsamentis constabat: unde & nomen acceperat. Bosius.

2. *Nam de rauduſculo*] Quod ais me æs *illud alienum*, quod contraxi, ita minuisse, *ut id jam non æs*, sed rauduſculum *fit; ne me magnum*, id est, bonis affluentem, *& fortunatum dixeris*, priusquam videris *qui futurus sit exitus rerum mearum. Nam fieri potest, ut*, antequam moriar, iterum *fortunæ meæ ad eosdem miseriarum* scopulos *allidantur.* Idem.

3. Μήπω μέγαν] Invenimus hunc versiculum apud Joannem Stobæum, sub nomine Sophoclis. Explicat autem ferè Solonis sententiam, qui neminem beatum antequam obiisset dici volebat. Victor. Sensus vulgaris non convenit huic loco. Leg. Μήπω μέγ' εἴπῃς. Hoc est, ne quid magnum dicas, priusquam mortuum videris, seu ne glorieris de adversario, priusquam jaceat. Τελευτᾷν non modò est mori, sed quocunque modo finire. Itaque πελευτᾶν sæpè ponitur pro denique, ad postremum. Cicero elegantissimè abusus est hoc dicto. Accepit πελευτήσαντα quasi esset accusativi pluralis neutrius, & loqueretur poeta de nummis. Significat igitur, ne gratuleris tibi de nummis, priusquam finientia, hoc est, finem negotii videris. J. F. Gron.

4. *Nihil reperio*] Quod emere possis.

5. *In oppido*] Antiarum. Corradus.

scito, [6] Antium Buthrotum esse Romæ, ut Corcyræ illud tuum. Nihil quietius, nihil alsius, nihil amœnius. [7] Εἴη μισητὸς φίλος οἶκος. Postea verò quàm Tyrannio mihi libros disposuit, [8] mens addita videtur meis ædibus: qua quidem in re mirifica opera [9] Dionysii & Menophili tui fuit. Nihil venustius quàm illa tua [10] pegmata, postquam sillybis libros illustrarunt. [11] Valde ut scribas ad me velim [12] de gladiatoribus; sed ita, benè si rem gerunt: non quæro, malè si se gessere. [13] Apenas vix discesserat; cùm epistola. Quid ais? putásne fore, ut legem non ferat? dic, oro te, clarius: vix enim mihi exaudisse videor. Verum statim fac ut sciam, si modò tibi est commodum. Ludis quidem, quoniam dies est additus, eò etiam meliùs hîc eum diem cum Dionysio conteremus. [14] De Trebonio prorsus [15] tibi assentior. [16] De Domitio:

[17] Σύκῳ μὰ τὴν Δήμητρα σύκον οὐδὲν ἧν
Οὕτω ὅμοιον γέγονεν,

quàm est ista [18] περίστασις nostræ: vel quòd ab iisdem, vel quòd præter opinionem, vel quòd viri boni nusquam. Unum dissimile, quòd huic meritò. Nam de ipso casu, nescio an illud melius. Quid enim hoc miserius, quàm eum qui tot annos, quot

---

6. *Antium Buthrotum esse Romæ*] Ut Corcyra Buthrotum propè habet, oppidum amœnissimum, & quietissimum: ita Antium Roma. MANUTIUS.

7. Εἴη μισητὸς] Hoc sensu: familiaris tua domus tibi odio fuerit præ Antiatibus illis ædibus. Proverbium Græcum est, φίλος οἶκος ἄελπτος, quo familiaris cujusque domus laudatur. Verùm ita amœnæ erant ædes illæ Antiates, ut nemo esset qui suis illas longè non anteferret. BOSIUS.

8. *Mens*] Cùm antea, bibliothecâ nondum à Tyrannione dispositâ, quasi corpus esset sine mente. MANUTIUS.

9. *Dionysii, & Menophili*] Quibus Tyrannio usus est glutinatoribus. ep. 4. IDEM.

10. *Pegmata*] Vide suprà, epist. 4. ubi de *sillybis*, pro *sittybis*, quod habent vulgati.

11. *Valde ut*] Ita Lambinus. Alii verò, *illustrarunt valde. Et scribas* &c. Reponendum autem conjicit J. F. Gronovius: *Vale, & scribas* &c. Ita ut *Apenas vix discesserat*, sit novæ epistolæ initium.

12. *De gladiatoribus*] Suprà, epist. 4.

13. *Apenas*] Servus vix discesserat cum literis ad te meis, cùm epistola mihi à te reddita est: in qua scribis fore, ut legem non ferat. Quem autem legem non laturum, & quam legem intelligat, quoniam in divinatione positum est, omitto. MAN.

14. *De Trebonio*] Tribunatum plebis petituro, quem gessit anno sequenti, Pompeio, & Crasso coss. IDEM.

15. *Tibi assentior*] Eum Tribunum plebis legem de Provinciis Consularibus ad istorum arbitrium laturum. Plut. in Pomp. & Dion. lib. XXXIX. CORRADUS.

16. *De Domitio*] L. Domitio Ænobarbo Consulari candidato. IDEM.

17. Σύκῳ] *Ficui per Cererem ficus nulla unquam tam similis fuit.* Senarius cum dimidio Comici nescio cujus.

18. Περίστασις] Status, conditio. Status iste Domitii simillimus est nostro, cùm in exilium pulsi sumus: vel quòd ab iisdem læditur, à quibus olim ego; vel quòd præter opinionem &c. MANUTIUS.

quot habet, designatus Consul fuerit, fieri Consulem non posse? præsertim cùm aut solus, aut certè non plus, quàm cum altero petat. Si verò id est, quod nescio an sit, ut non minùs longas jam in codicillorum fastis futurorum Consulum paginulas [19] habeat, quàm factorum, quid illo miserius? nisi respublica, in qua ne speratur quidem melius quidquam. [20] De Natta, ex tuis primùm scivi literis; oderam hominem. De poemate quod quæris; quid si cupiat [21] effugere? quid? sinas? [22] De Fabio Lusco [23] quod eram exorsus, homo peramans nostri semper fuit, nec mî unquam odio: satis enim acutus & permodestus, ac bonæ frugi. Eum quia non videbam, abesse putabam. Audivi ex Gavio hoc Firmano, Romæ esse hominem, & fuisse assiduum. Percussit animum, dices, [24] tantulàne causa? permulta ad me detulerat non dubia de [25] Firmanis fratribus. Quid sit, quòd se à me removit, si modò removit, ignoro. De eo quod me mones ut & [26] πολιτικῶς me geram, & [27] τὴν ἔσω γραμμὴν teneam; ita faciam. Sed opus est majore prudentia; quam à te, ut soleo, petam. Tu velim è Fabio, si quem habes aditum, odorere: & istum convivam tuum [28] deguste; & ad me de his rebus, & de omnibus quotidie scribas. Ubi nihil erit quod scribas, id ipsum scribito. Cura ut valeas.

Cice-

19. *Habeat*] Hæc omnes intelligunt de Domitio, ineptissimè. Scribendum: *in codicillorum fastis futurorum Consulum paginulas habeant*. Sc. Pompeius, Cæsar, & Crassus, qui jam inter se convenerunt de Consulibus in multos annos, quos fieri sint passuri, idque habeant perscriptum in codicillis, ut jam aliquot annorum Consules non populi Romani, sed suo arbitrio fecerunt. *Quid illo miserius*? scilicet, bono Domitio, qui inter hos notatos in codicillis haud dubiè non est, cùm tamen quasi genitus & sublatus sibi videatur in spem Consulatûs, patre Consulari, triumphali, censorio. Suet. Ner. 2. J. F. Gron.

20. *De Natta*] Cognomen est Pinariorum. Fortè is est, de quo dixit Horatius: *ungor olivo, non quo fraudatis immundus Natta lucernis*. Corradus.

21. *Effugere*] In lucem exire. Man.

22. *De Fabio Lusco*] Nisi M. Fabius hic est, cujus modestiam etiam commendat ep. 25. lib. IX. Fam. Fateor me, qui sit ignorare. Corradus.

25. *Quod eram exorsus*] Alibi, vel in cogitatione. Certè in hac epistola non est exorsus, nisi fortè pars illa desideratur. Id.

24. *Tantulàne causa*] Minima enim causa, ideò commoveri, quia, cùm Fabius Romæ fuisset assiduus, ad eum tamen non venisset. Manutius.

25. *Firmanis*] Interpretes, qui sint fratres hi Firmani, ignorant.

26. Πολιτικῶς] Civiliter, sed cum Reipublicæ benè gerendæ studio. Corrad.

27. Τὴν ἔσω γραμμὴν] Id est, interiorem lineam, quæ media inter extremas duceretur. Significat mediâ viâ utendum esse, ut idem alibi loquitur: quod fit, cùm quis nimis non inclinat in alterutram factionum partem. Bosius.

28. *Deguste*] Leviter in sermone tentes. Μεταφορᾷ à cibis, quorum saporem degustando percipimus. Et respexit ad illud „ *Odorere*.

CICERO ATTICO SAL.

9 SANE velim scire num [1] censum impediant Tribuni diebus vitiandis, (est enim hic rumor) totáque de Censura quid agant, quid cogitent. Nos hîc cum Pompeio fuimus. Multa mecum de republica, sanè sibi displicens, ut loquebatur: ([2] sic est enim in hoc homine dicendum) Syriam spernens, Hispaniam jactans: hîc quoque, ut loquebatur; & opinor, usquequaque de hoc cùm dicemus, sit hoc [3] quasi ἡ τόδε Φωκυλίδε: tibi etiam gratias agebat, quòd signa [4] componenda suscepisses: in nos verò suavissimè hercule effusus. Venit etiam ad me in Cumanum [5] à se. [6] Nihil minùs velle mihi visus est, quàm Messallam Consulatum petere: de quo ipso si quid scis, velim scire. Quòd [7] Lucceio scribis te nostram gloriam commendaturum, & [8] ædificium nostrum quòd crebrò invisis, gratum. Quintus frater ad me scripsit, se, quoniam Ciceronem suavissimum secum [9] haberet, ad te Nonis Maii venturum. Ego me de Cumano movi ante diem v Kal. Maii: eo die Neapoli apud [10] Lætum, ante diem IV Kal. Maii, iens in Pompeianum, bene manè hæc scripsi.

CICE-

1. *Censum*] Est *census* Censorum opus, hoc in loco. *Vitiari* autem dicuntur dies, cùm vitiosi fiunt aliquâ religionis obnuntiatione. JUNIUS.

2. *Sic enim*] Solet enim *aliud sentire, aliud loqui.* Ep. 1. lib. VIII. Fam. Hinc ep. 14. h. l. *Dixit, sed utrùm fronte, an mente, dubitatur.* CORRADUS.

3. *Quasi*] Ut Phocylides poeta suis præceptis præponere solitus est illum dimidiatum versiculum; Τὰ ἧ Φωκυλίδε: *Et hoc Phocylidis*; sic nos, cùm Pompeii sermones referemus, semper addemus, *Ut loquebatur*: quoniam ille aliud in lingua promptum, aliud in pectore clausum habebat. POPMA.

4. *Componenda*] In theatro Pompeii. De quo Plut. Plinius &c. MANUTIUS.

5. *A se*] A villa sua; sicuti, *Ad me*, valet, ad villam meam. Nec est, cur hoc loquendi genere quisquam offendatur. Sic ille, quem hic noster tanti fecit, Terentius in Heauton. *Hinc à me quisnam egreditur?* & alibi cùm ipse, tum, optimus Latinitatis auctor, Plautus. IDEM.

6. *Nihil minùs velle*] Quia favebat Æmilio Scauro. Videbat autem duos patricios simul esse consules non posse: vetabat enim antiqua lex. Ideò timebat, ne, dejecto Scauro, Messalla crearetur. Quod evenit. IDEM.

7. *Lucceio*] Vide ep. 6. hujus libri.

8. *Ædificium*] Domum quæ ædificatur. De quâ lib. III. ad Q. Fr. MANUTIUS.

9. *Haberet*] Mallem: *tecum haberes*: ut eâ causâ iret ad Atticum Q. frater. IDEM.

10. *Lætum*] Placeret, *Pætum*; ut sit Papirius Pætus, de quo Fam. IX. IDEM.

Cicero Attico Sal.

PUteolis magnus est rumor Ptolemæum [1] esse in regno. Si quid habes certius, velim scire. Ego hic pascor bibliothecâ [2] Fausti. Fortasse *tu putabas*, [3] *his* rebus Puteolanis & Lucrinensibus. Ne *ista quidem* desunt. Sed mehercule [4] à cæteris *oblectationibus* deseror, & *voluptatibus*, propter Rempublicam; *sic literis* sustentor & recreor; malóque in illa tua sedecula, quam habes [5] sub imagine Aristotelis, sedere, quàm in istorum sella curuli; tecúmque apud te ambulare, quàm cum eo, quocum video esse [6] ambulandum. Sed de illa ambulatione fors viderit, aut si quis est qui curet deus. Nostram [7] ambulationem, & Laconicum, eáque quæ [8] Cyrea sint, velim, quod poteris, invisas; & urgeas Philotimum ut properet; [9] ut possim tibi aliquid in eo genere respondere. Pompeius in Cumanum [10] Parilibus venit: misit ad me statim qui salutem nuntiaret. Ad eum postridie manè vadebam, cùm hæc scripsi. 10

1. *Esse in regno*] Restitutum à Gabinio, Syriæ proconsule. Nota historia ex Dione, Cæsare, aliis. Manutius.

2. *Fausti*] Hic est L. Cornelius Sylla Faustus, Syllæ Dictatoris filius, Pompeii gener, quem magnam & exquisitam bibliothecam habuisse licet suspicari ex eo quòd Sylla pater devictis Athenis inde aliquot librorum millia abstulerit, ut tradit Plutarchus in vita. Popma.

3. *His rebus*] Piscibus & ostreis, quibus sinus Puteolanus & lacus Lucrinus abundabant. Idem. Placet ut legatur *ostreis*, pro *his rebus*. Ursinus.

4. *A Cæteris*] Videtur *ut* suo loco excidisse. Fortè Cicero sic scripsit: *Sed mehercule ut à cæteris... sic literis* &c. Græv.

5. *Sub imagine Aristotelis*] In tua bibliotheca. Manutius.

6. *Ambulandum*] Mihi ut legato. Ep. 1. & 2. h. l. Nisi velit significare, quod devorandum esse dixerat, ep. 5. h. l. Corr.

7. *Ambulationem, & Laconicum*] In ipsius domo. De Laconico, vide Vitruvium lib. X. cap. 9, 10. Manutius.

8. *Cyrea sint*] A Cyro architecto facta sint. Ep. 3. lib. II. Al. *circa sunt*, idque fortasse rectius, ut balnearia significet. Ep. 1. lib. III. ad Q. fr. Corradus.

9. *Ut possim*] Ut ego quoque habeam, ubi te possim accipere, acceptus à te toties: quod nunc, nondum ædificatâ domo, non possum. Manutius.

10. *Parilibus*] IX. Kal. Maii. Idem.

Cicero Attico Sal.

DElectarunt me epistolæ tuæ, quas accepi uno tempore duas ante diem 11 Kal. Perge reliqua. Gestio scire 11

ista omnia. [1] Etiam illud cujusmodi sit, velim perspicias: potes à [2] Demetrio: dixit Pompeius, Crassum à se in Albano expectari a. d. IV Kalendas: is cùm venisset, Romam esse statim venturos, ut rationes cum Publicanis putarent. Quæsivi, [3] gladiatoribúsne? respondit, ante quàm inducerentur. Id cujusmodi sit, aut nunc si scias, aut cùm is Romam venerit, ad me mittas velim. Nos hîc voramus literas cum homine mirifico (ita mehercule sentio) Dionysio, qui te, omnésque vos salutat. [4] Οὐδὲν γλυκύτερον ἢ πάντ' εἰδέναι. Quare ut homini curioso ita perscribe ad me, quid primus dies, quid secundus, quid [5] Censores, quid [6] Appius, quid illa populi [7] Apuleia. Denique etiam quid à te fiat, ad me velim scribas. Non enim (ut verè loquamur) tam rebus novis, quàm tuis literis delector. Ego mecum præter Dionysium duxi neminem: nec metuo tamen ne mihi sermo desit [8] abs te. Opere delector. Tu Lucceio [9] nostrum librum dabis. [10] Demetrii Magnetis tibi [11] mitto; statim [12] ut sit, qui à te mihi epistolam referat.

1. *Etiam illud*] Hoc quod sum dicturus. quódque mihi Pompeius affirmavit, de rationibus cum publicanis putandis. Id ipsum repetit, post hanc narrationem, his verbis, *Id cujusmodi sit, aut nunc si scias*, &c. MALASPINA.

2. *Demetrio*] Pompeii liberto. Plin. lib. XXXV. cap. 18. Plutarch. in Pomp. & Dion. lib. XXXIX. CORRADUS.

3. *Gladiatoribúsne*] Putarène vellent rationes, quibus diebus gladiatores pugnarent? Antè, Pompeius respondit. MANUT.

4. Οὐδὲν] *Nihil dulcius, quàm omnia nosse.* Desit fortasse verbum ἐστὶ.

5. *Censores*] Num civitatem censeant, an id desperetur. Ep. 17. MANUTIUS.

6. *Appius*] Quia videbat eum hoc anno consulatum petiturum. Anno enim proximo consulatum gessit. IDEM.

7. *Apuleia*] Appii frater P. Clodius, qui populum in tribunatu non secus, atque Apuleius Saturninus, concitat. *Apuleiam* autem appellat per contemptum quasi effeminatum, & mollem. IDEM.

8. *Abs te. Opere*] Alii aliter & legunt, & interpretantur: sed germanas, opinor, gerras afferunt. Hîc tamen aberrasse librarium scriptorem facilè crediderim. OLIVETUS.

9. *Nostrum librum*] Commentarium earum rerum, quas in consulatu gessimus: ut habeat, unde sumat ad historiam conficiendam. Ep. 12. lib. V. Fam. MANUT.

10. *Demetrii Magnetis*] Epist. 11. & 16. lib. VIII. CORRADUS.

11. *Mitto*] Librum περὶ ὁμονοίας ab eodem Demetrio Magnete ad te missum. ID.

12. *Ut sit*] Ille, qui Magnetis librum attulerit. IDEM.

CICERO ATTICO SAL.

112 EGNATIUS Romæ est. Sed ego cum eo de re Halimeti vehementer Antii egi; graviter se acturum cum Aquilio,

[1] Aquilio confirmavit. Videbis ergo hominem, si voles. Macroni vix videor [2] præstò esse. Idibus enim auctionem Larini video, & [3] biduum præterea. Id tu, quoniam Macronem tanti facis, ignoscas mî velim. Sed, si me diligis, postridie Kal. cœna apud me cum Pilia. Prorsus id facies. Kalend. cogito in hortis Crassipedis, quasi in diversorio, cœnare. [4] Facio fraudem senatus-consulto. Inde domum cœnatus, ut sim manè præstò Miloni. Ibi te igitur *videbo*, & [5] promonebo. Domus te nostra tota salutat.

1. *Aquilio*] Jurisconsulto: ut sit C. Aquilius Gallus, qui Ciceronis collega fuerat in prætura: ut in oratione pro Cluentio, & Offic. lib. II. Manutius.

2. *Præstò esse*] Macronis causam non videor posse defendere, cùm auctioni constituerim interesse. Fortè autem vel emere quippiam Cicero volebat in auctione: vel ad eum bonorum pars, quæ vendebantur, ex hereditate pertinebat. Idem.

3. *Biduum præterea*] Subintelligit, Larini mihi commorandum est, aut aliquid aliud tale. Lambinus. *Biduum*: quod auctioni huic, præter Idus, dabitur. Mong.

4. *Facio fraudem senatus-consulto*] Cùm senatus vocabatur, senatores, qui erant in urbe, adesse jubebantur in senatu; qui non erant, juberi non poterant. Cicero autem, ne citari posset, urbem non est ingressus Kalendis, quo die senatus habebatur, sed in hortis suburbanis consistere, & cœnare voluit. Fraude igitur subterfugit senatus-consultum, quo in senatus-consulto scriptum erat, ut senatores, qui in urbe essent, in senatum vocati venirent, non venientibus pignora auferrentur. Philipp. I. Manutius.

5. *Promonebo*] Est, præmonebo; ut prodicere diem, prædicere, apud Varronem De Lingua Latina. Bosius. Id est, porrò monebo, ut eo die cœnes apud me cum Pilia: quod antè dixerat. Junius.

Cicero Attico Sal.

NOs in Tusculanum venisse ante diem XVII Kalend. Decembris video te scire. Ibi Dionysius nobis præstò fuit. Romæ ante diem XIII Kalend. volumus esse: quid dico, volumus? immo verò cogimur. [1] Milonis nuptiæ; comitiorum non nulla opinio est. [2] Ego, ut sit rata, abfuisse me in altercationibus, quas in Senatu factas audio, fero non molestè. Nam aut defendissem, quod non placeret; aut defuissem, cui non oporteret. Sed mehercule velim res istas, & præsentem statum Reipublicæ, & quo animo Consules ferant hunc [3] σκυλμὸν,

13

1. *Milonis nuptiæ*] Duxit uxorem Faustam, Syllæ dictatoris filiam. Manutius.

2. *Ego ut sit rata*] Quamvis, inquit, rata sit opinio illa comitiorum, ita ut ea certò habeantur, tamen non molestè fero me abfuisse ab iis altercationibus, &c. Hæ verò fuerant, ut suspicor, de habenda aut non habenda quorundam ratione. Bosius.

3. Σκυλμὸν] Perturbationem.

μὸν, rescribas ad me, quantum [4] potest. Valdè sum [5] ὀξύπεινος: &, si quæris, omnia mihi sunt suspecta. Crassum quidem nostrum minore dignitate aiunt profectum paludatum, quàm olim [6] æqualem ejus L. Paulum, iterum Consulem. O hominem [7] nequam! De [8] libris oratoriis factum est à me diligenter: diu multúmque in manibus fuerunt; describas licet. Illud etiam te rogo, [9] τὴν παρῦσαν κατάςασιν τυπωδῶς: ne istuc hospes veniam.

4. *Potest*] Bosius edidit, *poi est*.

5. Ὀξύπεινος] Famelicus.

6. *Æqualem*] Ejus filium, qui consul periit Cannensi prœlio; Africani minoris patrem naturalem. Is in secundo consulatu paludatus exiit ad bellum Macedonicum; nec multò pòst victor, capto etiam rege Perse, triumphavit. *Æqualem* Crassi, vel cum joco nominat, quòd uterque iterum consul ad bellum sit profectus; vel seriò, quòd eadem ætate essent, cùm ad bellum exiere. Nam, sexagenarium utrumque fuisse, tum ex Livio, tum ex Plutarcho licet conjicere. MANUTIUS.

7. *Nequam*] Qui, C. Ateii Capitonis, Tribuni plebis obnuntiationibus, dirísque neglectis, auri Parthici cupiditate præceps, ante finem consulatûs ivit in provinciam. Cicero lib. I. de Divin. Plutarchus, Dio, alii. Ejus tamen absentis dignitatem defendit in senatu. Ep. 8. lib. V. Fam. IDEM.

8. *Libris*] Tribus ad Q. fratrem. IDEM.

9. Τὴν παρῦσαν] Præsentem statum Reipublicæ, subjectâ rudi ejus formâ.

CICERO ATTICO SAL.

14 VESTORIUS noster me per literas fecit certiorem, te Româ a. d. VI. Id. Mai. putare profectum esse tardiùs quàm [1] dixerat, quòd minùs valuisses. Si jam meliùs vales, vehementer gaudeo. Velim domum ad tuos scribas, ut mihi tui libri pateant, non secus ac si ipse adesses, cùm cæteri, tum Varronis. Est enim mihi utendum quibusdam rebus ex iis libris ad eos, quos in manibus habeo: quos, ut spero tibi valdè probabo. Tu velim, si quid fortè novi habes, maximè à Quinto [2] fratre, deinde à C. Cæsare, & si quid fortè de comitiis, de Republica (soles enim tu hæc [3] festinè odorari) scribas ad me. Si nil habebis, tamen scribas aliquid. Nunquam enim mihi tua epistola aut intempestiva, aut loquax visa est. Maximè autem rogo, rebus tuis, totóque itinere ex sententia confecto, nos quamprimùm revisas. Dionysium jube salvere. Cura ut valeas.

CICE-

1. *Dixerat*] Faernus corrigebat, *dixeras*, pro *dixerat*, & ita videtur legendum. URSINUS.

2. *Fratre*] Nunc Cæsaris legato. CORR.

3. *Festinè odorari*] Videant eruditi, an rectius quod manuscripti adhuc retinent libri, & Germani in margine sui codicis adnotarunt, *Festivè* legatur: id est, eleganter, & suavibus quibusdam blanditiis. VICTORIUS.

Cicero Attico Sal.

De [1] Eutychide gratum, qui vetere prænomine, novo nomine T. erit Cæcilius; ut est ex me & ex te [2] junctus Dionysius, M. Pomponius. Valdè mehercule mihi gratum, si Eutychides tuam erga me benevolentiam cognoscet; & suam illam [3] in meo dolore συμπάθειαν, neque tum mihi obscuram, neque pòst ingratam fuisse. Iter Asiaticum tuum puto tibi suscipiendum fuisse. Nunquam enim tu sine justissima causa tam longè à tuis & hominibus, & rebus carissimis, & suavissimis abesse voluisses. Sed [4] humanitatem tuam, amorémque in tuos reditûs celeritas declarabit. Sed vereor, ne lepore te suo detineat diutiùs [5] rhetor Clodius, & homo pereruditus, ut aiunt, & nunc quidem deditus Græcis literis, [6] Pituanius. Sed, si vis homo esse, recipe te ad nos ad quod tempus confirmasti. Cum illis tamen, cùm salvi venerint, Romæ vivere licebit. Avere te scribis accipere aliquid à me literarum; dedi, ac multis quidem de rebus [7] ἡμερόλεγδον perscripta omnia: sed, ut conjicio, quoniam mihi non videris in Epiro diù fuisse, redditas tibi non arbitror: genus autem mearum, ad te quidem, literarum ejusmodi ferè est, ut non libeat cuiquam dare, nisi de quo exploratum sit tibi eum redditurum. Nunc Romanas res accipe. A. d. III. Non. Quint. [8] Sufenas & Cato absoluti: Procilius condemnatus. Ex quo intellectum est, [9] τελσαρειοπαγίτας ambitum, comitia, interregnum, majestatem, totam denique Rempublicam 15

1. *De Eutychide*] Servum Eutychidem Atticus liberaturus, eum de suo vetere prænomine, novo nomine, quod ipse à Cæcilio avunculo adoptatus acceperat, T. Cæcilium Eutychidem appellare constituerat. Manutius.

2. *Junctus*] Ita, ut M. Pomponius Dionysius vocetur. Corradus.

3. *In meo dolore*] In exilii calamitate. Manutius.

4. *Humanitate*] Deleo *sed*; quod manifestò ex syllabæ antecedentis repetitione (ut ferè fit in mss.) fuit inculcatum: aut ex initio sequentis comprehensionis adscriptum ab oscitante librario. Junius.

5. *Rhetor Clodius*] De quo Philipp. II. & Suetonius in libello de claris Rhetor.

6. *Pituanius*] Gentile nomen fuit *Pinarius*, cognomen *Pituanius*. De gente Pinaria dictum est alibi. Junius.

7. Ἡμερόλεγδον] Ut quæque singulis diebus acciderunt.

8. *Sufenas*] Tribuni plebis biennio antè fuerant Sufenas, Cato, & Procilius.

9. Τελσαρειοπαγίτας] Ἐιρωνικῶς corruptissimos judices uno verbo τελσαρειοπαγίτας vocavit. Nam fæpenumero τὸ τελς in compositione vim habet augendi, ut τελσάλ-ιος, τελσάβλιος, τελσίσμενος. Bosius.

flocci non facere. Debemus patrem familias domi suæ occidere nolle, [10] neque tamen id ipsum abundè: nam absolverunt XXII, condemnarunt XXVIII. [11] Publius sanè diserto epilogo criminans mentes judicum moverat. [12] Hortalus in ea causa fuit cujusmodi solet. Nos verbum nullum. [13] Verita est enim pusilla, quæ nunc laborat, ne animum in Publio offenderet. His rebus actis Reatini me ad sua [14] τέμπη duxerunt, ut agerem causam contra Interamnates apud [15] Consulem, & decem legatos; quòd lacus Velinus, à M' Curio [16] emissus, interciso monte, in Narem defluit. Ex quo est illa siccata, & humida tamen modicè [17] Rosea. [18] Vixi cum Axio. Quin etiam me ad [19] Septem aquas duxit. Redii Romam [20] Fonteii causâ, a. d. VII. Idus Quint. Veni

10. *Neque tamen*] Id est, valdè refugere. Inveniri enim qui hujusmodi cædes ferant; quales fuere XXII illi judices, qui Procilium absolverant. IDEM.

11. *Publius*] Clodius. MANUTIUS.

12. *Hortalus*] Q. Hortensius. IDEM.

13. *Verita* (vulgò *veritas*) *est enim pusilla*] In hoc verborum ambitu suspicor latere mendum. Et fortè locus ita corrigendus: *Verita est enim filia, quæ nunc laborat, ne animum Publii offenderem:* vel, *ne animus Publii offenderetur.* Ut eum Tulliola rogaverit, ne Procilium defenderet contra P. Clodii accusationem: verita scilicet, ne Clodius ex facto graviùs irritaretur. IDEM. Placet, dum verum eruatur, conjectura Manutii, nisi quòd putem legendum: *ne animum in Publio offenderet.* Scilicet ægrotans filia, ne ægritudo morbum augeat, si fortè in orando aliquid dicerem in Clodium, quod rerum potientes ægrè ferrent, & mihi meisque periculum denuo conflaret. Ego nolui in reos dicere quia filia mea nunc ægrotans verita est, ne memoria Publii, qui socius erat accusationis, aliquidve in eum dictum hoc alieno tempore suum animum læderet, & perturbaret, eique offunderet nocivos dolores. GRÆV.

14. Τέμπη] Loca amœna, quæ Vopiscus Cæsar *Italiæ* sumen appellabat. CORR.

15. *Consulem*] Ap. Claudium Pulchrum. Et de hac Reatina causa Varro libro III. cap. 2. de re rust. & Tacitus in primo Annalium. MANUTIUS.

16. *Emissus*] An igitur antea non defluebat? Etiam. Sed angusto tantùm Velini ore, quod natura fecerat. Consul autem *M' Curius* Dentatus, postquam anno Urbis Romæ CCCCLXIII, ante natum Christum CCXL, Sabinos devicit, monte interciso latius ipsi lacui aperuit ostium, quo nunc quoque è celsissimis præruptissimisque cautibus in subjectum Narem se præcipitat, ubi spumans cœlúmque obnubilans unda cum sole perpetuam reddit iridem. CLUVER. *Ital. antiq.* II. cap. 8.

17. *Rosea*] Campus Reatini agri. Virgil. VII. Æn. *Rosea rura Velini.*

18. *Vixi cum Axio*] Jucundissimè fui: ut infrà in epistola nescio quâ: *Cum Pansa vixi in Pompeiano.* Et villam habuisse Axium in agro Rosiano, testis est Varro lib. III. cap. 2. de re rust. MANUTIUS.

19. *Septem aquas*] Omnes agri Reatini lacus simul ita dictos existimo. HOLSTEIN.

20. *Fonteii*] Fortasse *Pontini*, qui tunc volebat triumphum. Q. *Fr.* III. 4. CORR.

21. *Magno, & æquabili plausu*] Qui mihi theatrum ingredienti à populo datus est. Et addidit, *Æquabili*, quia, *Magno*, per se non referebatur ad laudem. Nam & plausus magnus datur odiosis hominibus, sed minimè æquabilis, clamoribus, sibilis, omni strepitu permixtus: magnus, & æquabilis iis, qui diliguntur. MANUT.

22. *Manumissus*] Decreverat dominus Antiphontis, qui ludos edebat, illum meritò vel immeritò donare libertate. Ideò scribit Cicero illum manumissum priùs fuisse, quàm productum; quòd sive vicisset,

ni in ſpectaculum, primùm,[21] magno & æquabili plauſu: (ſed hoc ne curaris; ego ineptus, qui ſcripſerim) deinde, Antiphonti operam. Is erat antè[22] manumiſſus, quàm productus. Ne diutiùs pendeas, palmam tulit. Sed nihil tam puſillum, nihil tam ſine voce,[23] nihil tam ... Verùm hæc tu tecum habeto. In Andromacha tamen major fuit,[24] quàm Aſtyanax. In cæteris[25] parem habuit neminem. Quæris nunc de[26] Arbuſcula; valdè placuit.[27] Ludi magnifici & grati.[28] Venatio in aliud tempus dilata.[29] Sequere nunc me in campum. Ardet ambitus:[30] σῆμα δέ τοι ἐρέω:[31] fœnus ex triente Idib. Quint. factum erat beſſibus. Dices,[32] iſtuc quidem non moleſtè fero.[33] O virum, ô civem! Memmium Cæſaris omnes opes confirmant. Cum

ciſſet, ſive non, certum eſſet eum manumiſſum iri. Victoriæ præmium in ſervis hiſtrionibus erat manumiſſio. Bosius.

23. *Nihil tam ... Verùm*] Sic dedit Gruterus. Et rectè quidem Boſius animadvertit, ſuſpenſam hanc locutionem ac ſententiam apprimè his epiſtolis atque huic loco convenire. Malunt alii: *nihil tam verum. Hæc tu tecum habeto.* Quod ſic explicat Corradus: Cùm alienam agere perſonam deberet, *veram*, hoc eſt, ſuam agebat ita ut nihil imitaretur. Atenim id ſi voluiſſet intelligi Cicero, non ſcripſiſſet *nihil tam verum*; ſed, *nihil tam ſuum.* Deinde in actore ſcenico id quod ſignificatur voce hac *verum*, non vituperationem continet, ſed laudem maximè propriam. Ut enim is optimus eſt poeta, qui *reddere perſonæ ſcit convenientia cuique*, & veras è *vitæ morúmque* exemplari *voces ducere*, (quemadmodum docet Horatius, *de Arte Poet.* 316.) ſic præcipuè Actoris commendatio eſt, ſi ita agat, ut ad verum ac naturam proximè accedat. Ea ſcilicet maximè probanda imitatio eſt, quæ minimè apparet imitatio. Qui à Simeonis Boſii judicio diſſident, Malaſpina, Gronovius, alii, videntur mihi ſcurras magis ſpectaſſe, quàm actores. Legi poteſt ea fabella, quæ habetur Phædri V. 5. Addam hoc quoque, quod Plutarchus narrat. Mima quædam Seïa cùm Andromachen ageret in Aſtyanactis morte lugentem, ſui ipſius filii cineres ſcenicam in urnam conjecit, ut *veris* lacrymis alienum dolorem imitaretur. Volebat illa dici, *Nihil tam verum.* An, cùm diceretur, vituperari ſe exiſtimabat? Olivetus.

24. *Quàm Aſtyanax*] Quàm Tragœdus, qui hanc perſonam agebat. Mongaltus.

25. *Parem*] Ergo ſuperiores omnes, ut ſit jocus ex ambiguo. Corradus.

26. *Arbuſcula*] Fuere eodem tempore tres inſignes meretrices, eædémque mimæ, Arbuſcula, Cytheris, Origo. Servius Ecl. 10. Arbuſculam & Horatius nominat Sat. ultimâ lib. I. Manutius.

27. *Ludi*] Ludos Appollinares intelligit: de quibus infrà. Idem.

28. *Venatio*] Nimirum amphitheatralis, cùm homines cum feris committerentur. Vide Lipſ. de Amphitheatro. Grævius.

29. *Sequere nunc me in campum*] Hoc dicitur: Accipe nunc de ratione petitorum. Petebantur enim in campo Martio magiſtratus. Manutius.

30. Σῆμα δέ τοι ἐρέω] Signum verò tibi dico. *Iliad.* Υ. v. 326.

31. *Fœnus ex triente*] Hoc dicit Cicero, fœnus fuiſſe duplicatum, ut cùm antea pecunia mutua acciperetur trientibus uſuris, hoc eſt noſtro loquendi modo quatuor in centum, nunc propter candidatorum immanem ambitum, multum pecuniæ mutuum ſumentium ad largiendum, non niſi beſſibus uſuris locari pecuniam, hoc eſt octo in centum. Grævius.

32. *Iſtuc*] Ego Atticus, qui lucrari aliquid potero ut heres Cæcilii fœneratoris. Ep. 9. lib. I, & ep. 29. lib. III. Corradus.

33. *O virum, ô civem*] Ironia. Manut.

Cum eo Domitium [34] Consules junxerunt; qua pactione, epistolæ committere non audeo. Pompeius fremit, queritur, Scauro studet: sed utrùm fronte, an mente, dubitatur. [35] Ἐξοχὴ in nullo est. Pecunia omnium dignitatem exæquat. Messalla languet; non quo aut animus desit, aut amici: sed coitio Consulum, & Pompeius obsunt. Ea comitia puto fore ut ducantur. Tribunitii candidati jurarunt se arbitrio Catonis petituros. Apud eum H-S quingena deposuerunt; ut, qui à Catone [36] damnatus esset, id perderet, & competitoribus tribueretur. Hæc ego pridie scribebam, quàm comitia fore putabantur. Sed ad te v. Kal. Sext. si facta erunt, & tabellarius non erit profectus, tota comitia perscribam: quæ si, ut putantur, gratuita fuerint; plus unus Cato potuerit, quàm omnes quidem judices. [37] Messius defendebatur à nobis, è legatione [38] revocatus: nam eum Cæsari legarat Appius. [39] Servilius edixit, ut adesset. [40] Tribus habet Pomptinam, Velinam, Mæciam. Pugnatur acriter: [41] agitur tamen satis. Deinde me expedio [42] ad Drusum, inde ad Scaurum. Parantur orationibus [43] indices glorioſi. Fortasse accedent etiam Consules designati, in quibus si Scaurus non fuerit, in hoc judicio valdé laborabit. Ex Quinti fratris literis suspicor jam eum esse in Britannia. Suspenso animo expecto quid agat. Illud quidem sumus adepti, quod multis & magnis indiciis possumus judicare, nos Cæsari & carissimos & jucundissimos esse. Dionysium velim salvere jubeas, & eum roges & hortere, ut quamprimùm veniat, ut possit Ciceronem meum, atque etiam me ipsum, erudire.

CICE-

34. *Consules*] Ap. Pulcher & Domitius Ahenobarbus, Memmio, & Domitio Calvino consulatum pactione polliciti. Pactio autem quæ fuerit, apertè scribit in extrema epistola hujus libri. IDEM.

35. Ἐξοχὴ excellentia.

36. *Damnatus*] Quòd ambitiosè, & non Catonis arbitrio petiisset. CORRADUS.

37. *Messius*] De quo ep. 1. hujus libri.

38. *Revocatus*] A propinquis, ut opinor, aut ab amicis. Nam judicii causâ neminem de legatione in urbem invitum revocari licebat. MANUTIUS.

39. *Servilius*] P. Servilius, Isaurici filius, hoc anno prætor. IDEM.

40. *Tribus habet*] Tribus hæ Messium videntur absoluturæ. IDEM.

41. *Agitur*] Aliquid tamen proficitur; etsi acres habemus adversarios. IDEM.

42. *Ad Drusum*] Ut post Messium defendam Drusum. 10. IDEM.

43. *Indices glorioſi*] Indices sunt tituli orationum, ut pro T. Annio Milone, pro M. Marcello. Quia verò clarissimos viros defensurus erat, idcirco ait suis orationibus indices glorioſos parari. BOSIUS.